UNIVERSITAS CATHOLICA
IN OPPIDO LOVANIENSI.

FACULTAS THEOLOGICA
1840-41.

N° LVII.

Julius Delvaux

DE

ROMANI PONTIFICIS PRIMATU

EJUSQUE ATTRIBUTIS.

DISSERTATIO

DOGMATICO-CANONICA

DE ROMANI PONTIFICIS PRIMATU EJUSQUE ATTRIBUTIS,

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI FRANC. XAV. DE RAM,

ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON., S. THEOL. ET SS. CAN. DOCT., ORD. LEOP. EQ., ACAD. REL. CATH. ROM. ET REG. BRUX. SODALIS,

ET CONSENSU FACULTATIS THEOLOGICÆ,

PRO GRADU DOCTORIS SS. CANONUM

IN UNIVERSITATE CATHOLICA IN OPPIDO LOVANIENSI

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO, PUBLICE PROPUGNABIT

AUGUSTUS KEMPENEERS, EX MONTENAEKEN,

SS.Can. Lic., Presb. diœc. Leod., Bibl. Acad. Vice-Præfectus.

Diebus XXVI, XXVII et XXVIII mensis Julii, ab hora IV vespertina ad VII, an. MDCCCXLI.

LOVANII

EXCUDEBANT VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

ALMA COLL
213.1
LIBRARY
K32
Calif

27312

SIG. SEMINARII ARCHIEP. MECHLINIENSIS

SANCTÆ LEGIÆ

ROMANÆ ECCLESIÆ FILIÆ

CLERIQUE VIGILANTISSIMI

ANTISTITI

DIGNISSIMO, DOCTISSIMO,

DE RELIGIONE OPTIME MERITO, ET IN SANCTAM SEDEM DEVOTISSIMO,

CORNELIO RICHARDO ANTONIO

VAN BOMMEL,

PATRONO SUO PLURIMUM COLENDO;

ET

VIRO EXIMIO, MERITISSIMO,

PETRO, FRANC.-XAV. DE RAM,

ALMÆ MATRIS NOSTRÆ RECTORI MAGNIFICO

PRUDENTI, VIGILI;

ET

SUO IN SS. CANONIBUS PRÆCEPTORI

MARIANO VERHOEVEN,

VIRO CLARISSIMO, JURIS PERITISSIMO,

HAS QUALESCUMQUE STUDIORUM

PRIMITIAS IN PERENNE GRATISSIMI ANIMI MONUMENTUM

VENERABUNDUS

D. D. D.

Auctor.

PRÆFATIO.

....Eadem quæ didicisti, doce,
ut cum dicas nove, non dicas nova.
VINC. LER. *Com.* c. XXII.

QUUM Summi Pontificis Primatus totius ecclesiastici regiminis fundamentum sit, de hoc gravissimo argumento disserere numquam in animum induxissem meum, nisi propositum mihi fuisset vestigia premere summorum virorum, qui de eadem quæstione editis libris doctissime pertractarunt. A quibus si quo modo hic illic discedere videamur, non ideo tamen laborem nostrum contemnent ii, qui consentiunt D. Augustino affirmanti (1), « Utile esse diversos de eisdem quæ-» stionibus libros fieri, diverso stylo, non diversa » fide, ut veritas quidem ipsa ad omnes per-» veniat, ad alios sic, ad alios vero sic. »

Quod si quis quærat, cur R. Pontificis Primatum, ut dissertationis meæ materiem potissimum

(1) *Lib. I de Trinit.* c. III.

selegerim, hoc a me responsum habeat : ad eam quæstionem potissimum tractandam me incitavit ac veluti coegit devotissima erga Apostolicam Sedem observantia ; quam pro viribus meis, quantulæcunque tandem sint, defendere volui, nimirum, ut tiro secutus Cl. Lovaniensium S. Theologiæ Magistrorum vestigia, *Latomi* inprimis (1), et *Tapperi* (2), *Driedonis* (3), *Ravestenii* (4), *Hesselii* (5),

---

(1) Lovaniensium Doctorum primus in Lutherum calamum strinxit, in opusculo : *De Primatu Rom. Pontificis adversus Lutherum.*

(2) In præclara sua *Explicatione articulorum Lovaniensium adversus Lutheri errores*, et in *Orationibus suis theologicis*, quas G. Lindanus publici juris fecit. Hic in *Præfat.* ad easdem testatur, Ruardum Tapperum in concilio Tridentino « Tantæ æstimationis fuisse, ut ei selectus et honoratior fuerit in synodalibus congressibus locus, ante omnes spectabilis, et nihil ferme in SS. canones, neque in ecclesiastica decreta referretur, nisi ultimam ipsis manum adhibuisset Ruardus, Decanus Lovaniensis. »

(3) In lib. *De Ecclesiasticis Scripturis et Dogmatibus*, in quibus Driedo ingruentes in fidem catholicam suo tempore hæreses strenuissime aggressus est. *De falsificatione Driedonis*, op. cit. libri IV, c. IV, quæ ab adversariis facta est, consule *Epistolam* Steyaertii.

(4) *Apologia seu Defensio pro decretis SS. concilii Tridentini, adversus censuras et examen M. Kemnitii.*-J. Ravesteyn, Tiletanus, A Carolo V tum ad concilium Trident., tum ad Wormatiense colloquium missus fuit, et primus ipse Flacci Illyrici, ministrorumque confessionis Augustanæ, qui in Antverpiensem urbem irrepserant, impia dogmata scripto confutavit.

(5) In tractatu contra Monhemium edito, *De cathedræ Petri perpetua protectione et firmitate.* Joannes Hesselius, ingenii vir perspicacissimi, J. Leonardo Hasselio, præceptori suo, in concessu synodi generalis Tridenti defuncto subrogatus fuit.

Guilielmi Lindani (1), *Cuneri Petri* (2), *Jansenii* (3), *Molani* (4), *Henrici Cuyckii* (5), *Lensæi* (6), *Stapletoni* (7), *Guilielmi Estii* (8), *Mal-*

(1) *In Diatriba analytica de vera Chr. J. Ecclesia.* De Guilielmo Lindano Ruremundensium primo, Gandavensium vero secundo Episcopo dicit Card. Baronius, in *Not. ad Martyrol.* 23 Sept. « Fuit vir ille non tantum omnis generis litterarum eruditione » clarissimus, verum etiam egregii confessoris fidei nobilitatus » insignibus etc. »

(2) In sua *Veræ J. C. Ecclesiæ designatione.* Ab Episcopali sua Leovardiensi sede, exundante in Deum pariter ac Regem Mennonisticæ perduellionis tempestate, expulsus, Coloniam Ubiorum exilium transtulit. Voce ac stylo plurimum profuit, hæresesque insectatus est.

(3) Ipse primus, post reditum ex Tridentino concilio, quocum M. Baio et J. Hesselio a Philippo II ablegatus fuerat, Gandensibus Episcopus datus fuit. Vir undequaque peritissimus.

(4) J. Molanus in ecclesiastica antiquitate plurimum versatus, ac de Christi Ecclesia optime meritus, strenuus veritatum catholicarum defensor (Vid. Baron. ad Martyrolog. Rom. cap. IX.).

(5) Henrici Cuyckii, Ruremundensium Episcopi, studium omne constanter fuit, religioni orthodoxæ propugnandæ et propagandæ.

(6) Vir linguæ disertæ, calami ac laboris indefessi, in quo uti solida S. Augustini doctrina, sic et suavis Lactantii elegantia enituit, « Adeo ut in illo scripti genere, quod pro *Una Christi in* » *terris Ecclesia* edidit (teste H. Gravio) sive ad confirmandam » veritatem, sive ad evertendam falsitatem, et obstruenda penitus » hæreticorum nostri temporis ora, nihil umquam solidius, po» tentius, efficacius videre contigerit. »

(7) *De magnitudine Romanæ Ecclesiæ*, — et *De Primatu R. Pontificis*, apud Rocaberti. In operibus viri hujus, peritia linguarum Hebraicæ perinde ac Græcæ probe instructi, fervens pietatis non minus quam eruditionis ac catholicæ veritatis tutandæ zelus elucet.

(8) G. Estius in Lovaniensi Academia Doctor renuntiatus, a Matre ad recens Duaci erectam academiam, quasi filiam formandam amandatus fuit. Ob raras ac incomparabiles animi dotes dig-

deri (1), *Wiggers* (2), *Chr. Lupi* (3), *Nic. Dubois, D'Aubermontii*, *Steyaertii* (4), aliorumque multorum, quos recensere longum est, doctissimorum virorum, et de S. Sede meritissimorum (5).

---

nus habitus est, qui a collega suo G. Nemio, Antverpiensium postmodum Antistite, demum Cameracensium Archiepiscopo, retulerit viri *doctissimi juxta ac sanctissimi* elogium.

(1) Malderum, quippe apprime doctum, Archidux Albertus, ad firmandos adversus serpentes istius temporis hæreses Antverpiensium animos, eis Episcopum præficiendum curavit.

(2) Secundus ipse, erecti Lovanii auspiciis principis et Episcopi Ernesti Bavari, Seminarii Leodiensis dignissimus Præses fuit : utque valebat raris ingenii magnique judicii dotibus, plurimum præ ceteris de ipsa Academia meritus est.

(3) Egregius hic noster Christianus Lupus, eruditione ac virtute nulli secundus, singularem sibi famam per orbem christianum comparavit. Summis Pontificibus, Cardinalibus, et sæculi principibus non acceptus modo, sed et in pretio fuit. In omnibus operibus suis vindicem se fortissimum Apostolicæ Sedis comprobavit.

(4) Ante alios omnes, duo Lovanienses Doctores primi fortiter obstiterunt *Declarationi cleri Gallicani* a. 1682; nimirum Nic. Dubois, in sua *Disquisitione Theologico-juridica ad Episcopos Galliæ*, et in suis *Consultationibus theologico-juridicis*, — it. in *Prima parte refut. argumentor. seu errorum*, — it. in *Tract. de jure et facto*, — it. in suis *Actis Parisiis*. — it. in *Défence de l'autorité du Pape par dessus les conciles*, — et *P. D'Aubermont* in *Doctrina Lovaniensium S. Theologiæ Magistrorum* (Cf. *Gallia Orthodoxa*, § II) — *Steyaertius* autem hic nemini secundus : vid. *Positiones ejus de Pontifice ejusque auctoritate contra obtrectatorem Gallum*, et *positiones* ipsius *ulteriores*.

(5) Quibus Abraham Bzovius, *Annal. eccl.* t. XV, ad an. 1425, hocce pulcherrimum tribuit præconium, scribens : « Tanto studio » Professores Lovanienses Theologiæ arcanis incubuerunt, ut nulli » universitati primas concedere voluerint in tractatione rerum » divinarum, præsertim contra hæreticos controversarum. In qui-

Horum igitur doctissimorum virorum exemplum secutus et vestigia premens de R. Pontificis Primatu sermonem instituere potissimum volupe fuit, vel eo magis, quod sic una nacturus essem occasionem novos in dies circa R. Pontificis Primatum succrescentes errores refellendi. Nam proh dolor! in ea incidimus tempora, quibus *vexatur acerrime Romana Petri Sedes et vincula unitatis indies magis labefactantur* (1); quibus, *nullum prope laboris ac moliminum genus* prætermittitur, *quod ad inconcussum Sanctæ*

» bus, quod a solida, clara et veridica Patrum orthodoxorum, » et præcipue SS. Augustini atque Thomæ Aquinatis doctrina » neque aperte, neque per distortas aut extortas commentationes » discesserunt, meruerunt perpetuo audire doctissimi integerri- » mique interpretes mentis divinæ, ac propterea fortissimi, in- » victissimi propugnatores Fidei catholicæ Romanæ Ecclesiæ. » Quam magna ratione, quam alta præcipuæ utilitatis consideratione moti, quantæ demum necessitatis argumento persuasi, in eundem prorsum de asserenda tutandaque R. Pontificis absolute plena summaque super universam Ecclesiam omnemque ejus synodum ubique obtinente auctoritate, erroris experte, doctrinæ sensum jam inde ab antiquissimis diebus convenerint eximii illi et inclyti viri, Theologi summi, Lovaniensis Academiæ professores et scriptores, percipi facile potest ex præclaris ipsorum monumentis, quibus posteris sui erga B. Petri Sedem observantissimi et devotissimi animi sensus reliquerunt. — Illa monumenta ad breve compendium contraxit Cl. D'Aubermont in op. cit., eaque declarationi cleri Gallicani opposuit. Idem fere præstitit alter Lovaniensis professor, Cl. Hermannus Damen in sua *Oratione de cathedra Petri, ut est regula fidei, secundum antiquam et continuam doctrinam Theologorum Lovaniensium.* Lov. 1721.

(1) *Encyclica Epist.* Greg. PP. XVI, 15 Aug. 1832.

Civitatis ædificium , ex imis , si fieri posset , , sedibus evellendum non insumatur (1).

Hæc SS. Pontificis, Christi in terris Vicarii, querela, quos potissimum feriat, probe novimus. Non ferit profecto Belgium. De avita enim Majorum erga Petri Sedem pietate non degeneravit superstes in in hac regione posteritas. Spirat adhuc et loquitur hic perantiquus ille in Romanos Pontifices, qui filiorum est in Patres, amor. Spirat fervetque in illustrissimis Ecclesiarum Belgicarum Præsulibus, spirat et viget in hac nostra Alma Matre, in Seminariis et in omni totius Belgii ecclesiastico ordine, ad ultimos inde usque nepotes (quidni enim ex præteritis augurari futura liceat?) permansurus.

Age vero paucis verbis liceat nunc Lectores monere de ratione quam secutus sum in tractando, quod selegi, argumentum. Primatum non honoris tantum , verum etiam proprie dictæ jurisdictionis in universam Ecclesiam proxime Petro ejusque successoribus Rom. Pontificibus ab ipsomet Christo, divino Ecclesiæ fundatore, fuisse collatum probare conati sumus ex fundationis hujusce societatis tabulis, ex sacra scilicet Scriptura juxta Patres atque imprimis ad Ecclesiæ definitiones intellecta. *Ratione* autem (cum de positiva arbitrariaque Dei institutione hic res sit) nullatenus probari posse , primatum esse a Christo institutum , bene

(1) Greg. XVI *Encyclica Epist.* 15 Aug. 1840.

vero, ut adsit, suaderi, ostendimus; id itaque genus probationis, quod apud multos, inprimis hodie, *a ratione* est, e primario loco, quem vulgo obtinet, dejecimus, ipsique Primatus institutioni, eam ab Ecclesiæ fundatore veluti deposcens, ut fiat, præmisimus.

Cumque in sacris Scripturis rite recteque intellectis reperiamus insuper, universali Petri ejusque successorum jurisdictionis Primatui ab eodem Christo tres veluti præcipuas proprietates annexas fuisse, *sive rectoriam potestatem* 1° *absolute plenam*, 2° *absolute summam et ultimam et* 3° *ubique immediatam* (cujus amplissimæ potestatis finis bonum Ecclesiæ est, sive unitas ipsius, inprimis fidei, tum communionis), tria hæc præcipua Primatus attributa, quæ ibidem reperimus, applicuimus systematibus omnibus, quæ a tempore conciliorum Constantiensis et Basileensis aut hostes Primatus aut novitii viri ad nostra hæc usque tempora invenerunt, eaque omnia, præsertim tamen illud, quod recentioribus Germaniæ Canonistis in deliciis est, juxta illam normam dijudicavimus. Quo vero clariora essent, quæ sumus dicturi, et ne quis aerem subinde nos verberare putaret, varia illa systemata, quæ destruere conati sumus, longa serie in principio nostri opusculi recensere voluimus. Systematibus his omnibus unum idemque fundamentum esse *Democratiam*, uno alterove verbo monemus.

Ceterum ita in tractanda quæstione sumus versati, ut non omnibus quibuscumque tandem scribere voluerimus, sed iis tantum, qui in re, de qua agimus, non plane sunt hospites, hoc est, intelligentibus loquimur, non enchiridion scribimus.

Styli elegantia orationisque ornamenta forsan desiderabuntur; fides autem et diligentia, speramus, nullibi. Et diligentiam quidem quod attinet, eam certe adhibui, qua major vix requiri possit; singula, quæ refero, æqua, quantum potui, judicii lance suspendi. Si a recto veritatis tramite me deviasse contigerit, Dei atque hominum veniam posco, paratus meliora monentibus non promptum dumtaxat obsequium præstare, sed impensissimas etiam gratias referre. « Quæcumque » itaque dicam, absque præjudicio dicta sint sa- » nius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auc- » toritati atque examini totum hoc, sicut et cetera » quæ ejusmodi sunt universa reservo : Ipsius, si » quid aliter sapio, PARATUS JUDICIO EMENDARE (1).»

Scribebam Lovanii XVI kal. Julias MDCCCXLI.

---

(1) D. Bernard. *Epist.* 147.

DISSERTATIO

DE B. PETRO — DE ROM. PONTIFICE.

« Considerans rerum conditionem intelligo, nihil fieri aliter debuisse quam factum est, ut non dicam potuisse, quia Deus potest omnia : sed necesse est, ut illa providentissima majestas id effecerit, quod erat melius et rectius. » Lactant. *De opific. Dei*, C. III.

« Bono unitatis B. Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, et præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœlorum communicandas ceteris solus accepit » S. Optatus Milevit. *Lib. VIII. adv. Parmen.* C. III.

DISSERTATIO

DE B. PETRO — DE ROM. PONTIFICE.

ARGUMENTUM.

Cap. I. *a*) Sacri Primatus Petri Pontificisve Romani hostes præcipui. — *b*) Pontificio huic Primatui systemata noxia.

Cap. II. Necessitas Pontificii in Ecclesia Primatus; quem etiam ratio postulat.

Cap. III. Primatus in B. Petro ejusque successore Rom. Pontifice *proxime a Christo* facta institutio.

Cap. IV. Hujus Primatus finis,

Cap. V. Et attributa præcipua, — *a*) potestas *absolute plena*, — *b*) *absolute suprema*, — et *c*) *ubique immediata*.

Pontificii Primatus jure. —*It.* Apologia compendiosa del Breve : *Super soliditate.* — *It.* Confutazione di due Libelli etc.

14. *Card. Orsi*, De irreformabili Rom. Pontificis in definiendis fidei controversiis judicio, — et De Rom. Pontificis in synodis oecumenicis auctoritate. Romæ 1771. 3 vol. in-4°.
15. *J. Hyacinthus Serry*, De Rom. Pontifice in ferendo de fide moribusque judicio falli et fallere nescio etc. Patavii 1732. 1 vol. in-8°.
16. *Dom. Gualco*, De Romano Pontifice. Aug. Taurinor. 1837 2 vol. in-8°.
17. *Maur. Cappellari*, nunc SS. Pontifex Greg. XVI, Triomphe du S. Siége et de l'Eglise. Louvain 1834. 2 vol. in-8°.
18. *Andreas Duvallius*, De Suprema Rom. Pontificis in Ecclesiam potestate. Paris. 1614. 1 vol. in-4°.
19. *Nic. Coeffetau*, Pro S. Monarchia Ecclesiæ adv. Rempublicam M. A. de Dominis. Paris. 1623. 1 vol. in-fol.
20. *Antonius Charlas*, Tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.—Appendix de Primatu jurisdictionis adv. Lud. Ellies Dupin.— *It.* De concilio œcumenico adv. auctorem Responsionis ad posteriores Theses Steyaertii. Romæ 1720. 2 vol. in-4°.
21. *Cœlestinus Sfondrati*, Gallia vindicata, diss. II, III, — et adv. IV librum Lud. Maimburgi, De privilegiis et prærogativis Rom. Ecclesiæ, ejusque Episcoporum.
22. *Soardi*, De suprema Rom. Pontificis auctoritate hodierna Gallicanæ Ecclesiæ doctrina. Leod. 1747. 1 vol. in-4°.

23. *Gallus Cartier*, Auctoritas et infallibilitas SS. Pontificum stabilita et adv. Bossuet et Tournely vindicata. Aug. Vindelic. 1738. 1 vol. in-4°.
24. *Petit Didier*, Dissertation historique et théologique etc. Luxemb. 1725. — Hujus dissert. versio latina exstat in op. Cartier.
25. *J. Thom. Rocaberti*, De Rom. Pontificis auctoritate. — Ejusdem est *Bibliotheca Pontificia maxima*. Romæ 1697. 21 vol. in-fol.
26. *Card. Litta*, Lettres diverses sur les quatre articles dits du Clergé de France.
27. *De Maistre*, Du Pape. — *It.* De l'Eglise Gallicane.
28. *Barruel*, Du Pape et de ses droits religieux à l'occasion du Concordat. Paris, an XII (1803). 2 vol. in-8°.
29. *Pey*, De l'autorité des deux Puissances. Strasb. 1788.
30. *L. Doller*, Zeugnisse aus allen christlich. Jahrhunderten bis auf das jahr 1815 für die Gewalt der Kirche und ihres Oberhauptes. Frankf. a. M. 1816.
31. *Dr. Rothensée*, Der Primat des Papstes in allen christlich. Jahrhunderten, herausgegeben von Drr. Ræss und Weis. Mainz 1836.
32. *Augustinus de Roskovány*, De Primatu Rom. Pontificis ejusque juribus. Aug. Vindelic. 1834. 1 vol. in-8°.

CAPUT I.

A) SACRI PRIMATUS B. PETRI PONTIFICISVE ROMANI HOSTES PRÆCIPUI. — B) PONTIFICIO HUIC PRIMATUI SYSTEMATA NOXIA.

ARGUMENTUM.

§ 1. Ratio conatuum adv. Pontificium Primatum.

§ 2. *a*) *Dioscorus.* — *Schismatici Græci.*

b) Rom. Pontificis Primatus negatur apud Græcos (circa a. 450).

§ 3. *a*) *Waldenses. Marsilius Patavinus* et *Joan. Jandunus.* — *Wilcleſus* et *Hussius.*

b) Rom. Pontificis Primatus negatur apud Latinos.

§ 4. Concilium *Constantiense* et *Basileense.*

b) *Collectiva* Aristocratia suprema cum Monarchia subdita.

§ 5. *a*) *Lutherus* et *Calvinus.*

b) Gallicanum systema protestantibus favet. — Democratia cum delegatis ministris.

§ 6. *a*) *M. A. de Dominis.*

b) Christocratia cum ministeriali Aristocratia in solidum.

a) *Richerius.*

b) Democratia cum delegata Aristocratia, huicque subdita Monarchia.

§ 7. *a*) *Famosa cleri Gallicani Declaratio* (a. 1682).

b) *Gallicana opinio* extenditur. — Aristocratia cum subdita Monarchia.

§ 8. *a*) *Janseniani et Quesnelliani. Espenius.*

b) Richerismus et Gallicanismus (nunc Democratia — nunc Aristocratia mixta quadam Monarchia).

§ 9. *a*) *Febronius et Febroniani* (*Josephistæ*).

b) Episcopale systema sive Democratia cum delegata Aristocratia supremæ jurisdictionis et Primatia honoris et delegatæ auctoritatis absque jurisdictione.

a) *Recentiores Germaniæ Canonistæ atque Dogmatici.*

b) Systema episcopale, sive Aristocratia suprema cum Monarchia provisoriæ subditæque jurisdictionis.

§ 1.

Ratio conatuum adversus Primatum Rom. Pontificis.

Prædixerat Christus, multos adversus Ecclesiam hostium impetus futuros, eamque omni ætate subituram procellas, et tempestates, quibus tamen nunquam mergeretur. Qui Ecclesiam odio habuerunt, ii eodem hoc odio suo prosequuti sunt ejus caput, et Principem Rom. Pontificem, atque in eum conatus omnes converterunt: quoniam nimirum qui fabricam evertere, fundamentum petit, et qui hominem conatur occidere, caput ipsum invadit. At

> Niteris incassum navim submergere Petri:
> Fluctuat, at numquam mergitur ista ratis.

§ 2.

a) *Dioscorus. — Schismatici græci.*
b) *— Rom. Pontificis Primatus negatur apud Græcos.*

1. Primus, qui adversus Primatum S. Pontificis surrexit Dioscorus fuit, Patriarcha Alexandrinus (medio sæc. v). Eo audaciæ devenerat ille, ut in S. Leonem M. excommunicationis sententiam emittere ausus fuerit. Sed qui tum insano homini sese comitem adjungeret, inventus est nemo.

2. Græcorum dein, qui Rom. Pontificis Primatum negant, schisma initium habuit a Patriarcharum Cp^{orum} ambitu et superbia, imprimis Joan. Jejunatoris et Photii; a Michaele autem Cærulario (1053) vel instau-

ratum vel roboratum, et post œcumenicam synodum Florentinam opera Marci Ephesini Metropolitæ confirmatum, ad nostros usque dies perdurat, quinimo de eo modo latius extendendo multi pessimi conatus fiunt (1).

§ 3.

a) Waldenses. — Marsilius Patavinus et Joannes Jandunus. — Wiclefus et Joannes Hussius.

b) — Rom. Pontificis Primatus negatur apud Latinos.

1. Græcorum exemplum primi omnium inter Latinos imitati sunt Waldenses (1163), quorum hæresis fuit, neminem esse a Christo constitutum in Ecclesia, qui ceteris præstet. Genus hoc hominum sacerdotio et imperio inimicum fuit.

2. Sæculo XIV, cum propter facinus Ludovici Bavari, qui a. 1323 generale concilium appellaverat, graviores inimicitiæ exarsissent inter ipsum Ludovicum et Joannem XXII, Marsilius Patavinus et Joannes Jandunus (homines cum Ochamo imperatori unice servientes), in libro : *De Jurisdictione imperiali et pontificia* (quem Joan. XXII cum suis auctoribus condemnavit), Christum post suum ad patrem reditum nullum constituisse visibile Ecclesiæ caput asseruerunt. In errore suo præter protestantes, M. A. de Dominis

(1) Vid. Kersten, *Journal hist. et litt.* tom. IV, p. 379 et 433, et tom. VI et VII.

consentientem habuerunt, eorum quoque, quiEcclesiam laicæ potestati subdunt, parentes fuerunt.

3. Eodem sæculo, an. circiter 1375, Joannes Wiclefus ausus est contendere art. 41, a Gonstantiensi concilio et Martino v damnato, « non esse de neces-» sitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse su-» premam inter alias Ecclesias. » In eodem luto hæsit Joannes Hussius.

§ 4.

a) Concilium Constantiense et Basileense.

b) Democratiæ systema (quod specie prima episcopale erat) constituitur, sive Aristocratia adunati Episcorum corporis cum Monarchia provisoriæ jurisdictionis in singulas Ecclesias.

Ad infelicissima modo Ecclesiæ atque canonici jurisprudentiæ tempora devenimus, nimirum ad magnum illud schisma (1378), quod ab ea, quæ ab omni retro ætate unanimi consensu agnita proclamataque fuerat vera doctrina, factum est. In Concilio nempe Constantiensi (1414), quod Pisanæ Synodi (1408) continuatio fuit, veræ propriæque Democratiæ semina jacta fuere (1), quæ Basiliensium (1431) doctrina evo-

(1) Id imprimis patet ex admisso hoc novo principio : *Generale concilium universam Ecclesiam repræsentare*, atque dein ex superioritate generalis concilii qualis tandem cumque, etiam ex laicis atque turmatim compositi supra Papam. — Ab hac superioritate ordinis hierarchici supra Papam sponte sua fluit, Papam nec debere esse, nec esse proinde falli nescium. Audire præstat, quæ hic verissime dixit De la Mennais, *Tradition de l'Eglise*, *Introduc*·

luta eorumque agendi ratione roborata, et a Gallicana Sorbonica domo conservata sunt, a Richerio autem penitius explicata, quæque modo aperte hæretica, modo variis adhibitis temperamentis, in Gallicanis Theologis, Jansenianis omnibus, Febronio ejusque in Germania sequacibus neologisque ibidem Canonistis ad nostra hæc usque tempora infelicissime vivida perdurarunt. Vix credi potest, quot quantæque inde perversæ canonicæ notiones, atque divinæ illius, cujus fundamento Ecclesia nititur legis, falsæ interpretationes exortæ fuerint, quibus etiamnum Ecclesia miserrime vexatur. Atque ita nata sunt, quot capita tot fere canonica *systemata*, quorum tamen omnium basis, atque fundamentum hoc est : *Democratia*, modo *pura*, modo specie cujusdam Aristocratiæ et Monarchiæ *fucata* (1). Nocua hæc sunt

tion, pag. 32, édit. de Brux. 1830, « Qu'on ne croie pas que le » dogme anarchique (de la souveraineté du peuple) soit tellement » propre à la réforme, qu'on ne l'admette que dans son sein. Né » à *l'époque du concile de Constance*, il est la base sur laquelle » reposent *tous les systèmes* contre la supériorité du Pape, et il » n'a point de conséquence affreuse qu'*Almain*, *Gerson*, *Richer* » et ses disciples n'en aient depuis longtemps tirée. Le sujet est » trop important pour ne pas donner au moins quelques preuves » du fait que nous avançons. Nous n'aurons que l'embarras du » choix, car il n'existe que trop de monuments de ce honteux dé- » lire d'une Théologie révolutionnaire, que les princes, dont elle » menace l'existence, auraient dû proscrire avec plus d'indignation » que les pontifes, etc. »

(1) Is namque hæreticorum, impiorumque omnium solemnis mos est, verborum latebris non raro virus tegere. Nonne Richerius in commendationem Democratiæ suæ larva ordinis hierarchici sæpe utitur ? Vid. Veith, pag. 9. Non ex ejusmodi itaque vanis temperamentis, sed ex fundamento, cui nititur, et ex fine, ad quem tendit, systema quodcumque dijudicandum est.

quæ nos hic præcipue impugnaturi sumus systemata. Perversorum illorum principiorum si quis a me quærat præcipuum promotorem, famosum istum Academiæ Parisiensis quondam cancellarium Joannem Charlier, (Gersonium dictum) (1) cum Magistro suo Petro de Alliaco Card. et Archiepiscopo Cameracensi sine dubio in primis dabo, quorum erroribus a Basileensibus assumptis validissime sese opposuit præ ceteris egregius Card. Joan. a Turrecremata cum Joan. Capistrano.

---

(1) Gersonius totius suæ hac in re doctrinæ fundamentum posuit : *Totum majus esse sua parte ;* ex quo physico axiomate deduxit Ecclesiam Papæ, et subditos regi potestate præstare.—Operæ pretium est, ut ratione doctrinæ suæ apprime cognoscatur Gersonius. De illo dicit Petitdidier, *Dissert. cit.* ch. 1 : « Mais ce que Gerson avance dans » le *Traité des moyens de réunir et de réformer l'Eglise dans le* » *concile général*, est si mauvais, et si peu conforme à la doctrine » de l'Eglise, qu'à peine y peut-on lire une page entière sans y » trouver quelqu'erreur, et sans y remarquer une passion si vio- » lente contre les Papes, qu'elle approche très-fort des erreurs » de Wiclef, et des sentiments des hérétiques du XVI^e^ siècle, si elle » ne les surpasse en bien d'endroits. Il est important à mon sujet » de rapporter une partie de ce qu'il dit dans ce traité, pour faire » honte à ceux qui regardent ce théologien comme leur maître » en ce qui concerne l'Eglise, les conciles et les Papes. » Post hæc Auctor ille horrendos Gersonii errores, quos Richerium docuit, aliosque quos cum Donatistis, Wiclefo et Hussio communes habuit, speciatim fuseque proponit. De quibus vid. etiam Sardagna, op. cit., tom. III, art. III, controv. VI, n. 400, Bolgenium, *L'episcopato* tom. III, cap. V, n. 262, seqq. — Antifebronium *vindicatum*, diss. I, c. V, p. 207. Ubi quoque laudata habes verba auctoris libri : *Réfutation du Mémoire publié en faveur de l'appel des quatre évêques* an. 1718, Bruxel. editi, atque a præstantissimo Mechliniensi Archiepiscopo Thoma Philippo de Bossu magnopere commendati : « On aurait, ait ille, à repro-

§ 5.

a) *Martinus Lutherus et Joannes Calvinus.*

b) *Gallicanum systema Protestantibus favet. —Democratia cum pastoritio systemate juncta.*

Wiclefum et Hussium ineunte sæculo XVI sequuti Martinus Lutherus, et Joannes Calvinus, concilii Constantiensis et Basileensis episcopale atque presbyterale systema in hæresim verterunt, negando Pontificium primatum. Ipsorum quoque deinceps asseclarum omnium sors ea fuit, ut (Card. Bellarmini verba sunt) « dum in aliis dogmatibus non minus inter se,

---

» cher à Gerson bien d'autres choses que de faux raisonnements, » témoin les ridicules suppositions qu'il fait et qu'il donne pour » possibles, p. e. que l'Eglise serait réduite *à une seule bonne* » *vieille*, qui conserverait la foi. » (*Sicut enim universalis Ecclesia potest salvari in minima vetula, quia est salvata in B. M. V. sic ad salvationem universalis Ecclesiæ potest convocatio concilii fieri per minimam vetulam.* Gerson, *De modo un. et reform. Eccl. in concil.*) — Non ignoramus Gersonium non semel apprime catholice sensisse de Primatu Rom. Pontificis et scripsisse etiam nonnullos, injuria multa illi a Richerio, Dupinio et Lutherano Vonderhart attribui, sed hæc a nobis curanda non sunt, cum de persona Gersonii non agimus; at quidem *Doctrina*, quæ nomine Magistri hujus a Gallicanis, Richerianis, Jansenianis, Febronianis hodiernisque neologis Germaniæ Canonistis traditur, sive ea, quæ hæretica, quæ fanatica, quæ impia, seditiosa, falsa ac temeraria in Gersonii operibus inveniuntur, hæc magnopere notanda, atque ob ea, prout etiam cordati Theologi, omnesque Canonistæ faciunt, vehementer in eum animadvertendum, ipseque in doctrina de jure publico flocci habendus. — Id unum adhuc observandum summa prudentia Ludovicum XIV Galliarum Regem prohibuisse, ne Gersonii, auctoris adeo periculosi opera, concitandis etiam adversus sæculares principes seditionibus aptissima, in suo regno prelo iterum subjicerentur.

» quam a nobis dissentiunt, in hoc tamen omnes » conveniant, ut totis viribus summaque contentione » Rom. Pontificis Primatum oppugnent.» *Gallicanum systema* de superioritate Ecclesiæ collectæ supra Papam, protestantium errori de clavium potestate fidilium societati a Christo attributa, favisse nemo infitiari potest (1).

§ 6.

a) *Marcus Antonius de Dominis.*

b) *Christocratia cum Aristocraticis Christi ministris in solidum.*

a) *Edmundus Richerius.*

b) *Democratia cum delegata Aristocratia huicque subdita Monarchia.*

1. Cum Luthero et Calvino hic viri sentiunt Marcus Antonius de Dominis, Spalatensis Apostata, et Edmundus Richerius, S. Parisiensis Facultatis Syndicus. — Horum prior in libro : *De republica Chri-*

(1) De hac re audiatur auctor op. cit. *Inst. des évêques,* p. 27 : « Le grand schisme d'Occident, pendant lequel les peuples ne » virent plus dans un Pontife unique un objet unique aussi de » leur vénération et de leur amour, usa-, si l'on peut ainsi par- » ler, leur affection. Il fit plus, il altéra les principes mêmes, et » prépara la voie à la réforme. Pierre d'Ailly, Almain, Gerson, » peuvent à plusieurs égards être considérés comme les ancêtres » de Luther et de Calvin, de même qu'ils furent les maîtres des » Richer, des Vigor, des Antoine de Dominis, et des Febronius. » Les maximes au fond sont à peu près les mêmes, l'esprit seul » est différent. »

stiana (1), primatum Petro præ ceteris Apostolis nihil peculiaris juris contulisse, Christumque solum et unicum Ecclesiæ caput esse adseruit. Puræque ministerialis sine jurisdictione Aristocratiæ fautor exstitit. Illius doctrinæ in scopum nostrum quasi summa continetur in prop. IV et XIV a Facultate Parisiensi a. 1617 censura perstrictis. — IV prop. « Monarchiæ formam » non fuisse immediate a Christo institutam. — XIV » Sicut Apostoli simul et in solidum *Aristocratice* cu» ram gerebant Ecclesiæ cum potestate æquali, et » universali, ita Episcopi omnes simul et in solidum » eamdem regunt Ecclesiam cum plena potestate. » (Ex tom. I, lib. II, c. I, n. 9.)

2. Alter vero in libello, quem a. 1611 *De ecclesiastica et politica potestate* in lucem edidit, ad hæresim quidem usque non devenit, quoniam Primatum cum protestantibus non negavit, verum in explicando defendendoque episcopali systemate, in puram putidamque *Democratiam* lapsus est, omniumque qui in hoc errore deinceps versati sunt, princeps magisterque fuit. Summa Richerianæ doctrinæ in eo vertitur,

---

(1) Londini 1617 et 1620, 2 vol. in-fol., et Francof. 1658, 3 vol. in-fol. Hoc opus Apost. Sedis decreto 2 Dec. 1617 damnatum fuit, et cetera ejusdem opera omnia decreto 16 Martii 1621 Cf. *De vita et Scriptis M. A. De Dominis Discurs. prælimin.* ad lib. L. Veith : *Richerii Systema Confut.* edit. Mechl. 1825. Eum usque ad obitum in errore perseverasse existimant multi; verum Theotimus Eupistinus (Fr. A. Zaccaria) ipsum antequam moreretur, errores ejurasse et Sacramenta suscepisse, ostendit in libr. *De doctis catholicis viris, qui Just. Febronium in scriptis suis retractandis ab an.* 1580 *laudabili exemplo præiverunt.* Romæ 1701.

quod initio posuit operis sui : « Christum fundando » Ecclesiam, prius, immediatius, atque essentialius » claves, sive jurisdictionem toti dedisse Ecclesiæ » quam Petro : seu quod eodem redit, claves toti » contulit Ecclesiæ, ut per unum *ministerialiter* exer- » cerentur. Quamdoquidem tota jurisdictio Ecclesiæ » primario, proprie, ac essentialiter Ecclesiæ convenit: » Rom. autem Pontifici, atque aliis Episcopis instru- » mentaliter, ministerialiter, et quoad executionem » tantum. » Hanc conclusionem ex vulgari illo, ut ait et indubitatæ fidei axiomate collegit : « Deum » et naturam prius, atque immediatius ad totum » suppositum, quam ad aliquam partem suppositi » quamvis nobilissimam, intendere : eamque ob » caussam facultatem videndi, e. g., toti datam esse » homini, ut per oculum tamquam per organum, et » ministrum hominis exerceretur. Nam oculus per et » propter hominem existit. » Vult itaque Richerius, potestatem et jurisdictionem non solum *finaliter* convenire toti Ecclesiæ, quatenus nempe in hujus bonum et commodum, velut præcipuum finem, primario conspirat; sed *formaliter* quoque ipsi inesse, seu in ipso Ecclesiæ corpore ac communitate residere, tamquam in ὑποκειμενῳ sive subjecto. Atque in hoc Richerii democraticus error consistit. Obiter notandum Richerium et post ipsum Febronium ceterosque Democraticos admittere potestatis, quæ juxta ipsos a Christo proxime Ecclesiæ data fuit, usum et exercitium ab ipso quoque Christo Apostolis fuisse concessum. Verum post Apostolorum tempora, hunc usum, hoc exer-

citium *ab Ecclesia* suis ministris electione aut alio canonico modo deferri contendunt (1).

§ 7.

a) Famosa cleri Gallicani Declaratio an. 1682. *b) Opinio quæ Gallicana proprie audit, robur accipit, atque extenditur. — Aristocratia suprema mixta Monarchia provisoriæ subditæque jurisdictionis.*

Quod ab omni retro antiquitate a cunctis, Gallicanis quoque, uno ore, discrimine nullo, acclamatum fuerat : *Prima Sedes a nemine judicatur*, infelicissimis

(1) Variam *Richerii* fortunam post editum suum libellum *De eccles. et polit. potest.* utrique huic potestati infensum, atque propterea a Sede Apost. cum ceteris ejus operibus damnatum, præter ceteros diligenter narrat Laur. Veith, *Richerii Systema confutatum*, sect. I. Vid. quoque auctores, quos ibidem citat. Sufficiat mihi hic duo animadvertisse — I. Spopondisse Richerium in prima sua declaratione an. 1612, 1622 et 1629 edita, « semper se præ se tulisse (sunt sua verba) nullo alio umquam animo, proposito, consilio, aut cujusquam hortatu, vel suasione se libellum *De eccl. et pol. potest.* an. 1611 scripsisse, *quam ut breviter demonstraret, quænam essent principia doctrinæ Majorum scholæ Parisiensis.* » Pour établir, ait Moreri, *Dict. histor.* Verbo : *Richer*, les principes, sur lesquels il prétend que les maximes de l'Eglise de France et de la faculté de Paris, touchant l'autorité du concile général et du Pape, étaient fondées. » Et profecto a Richerio vix aut ne vix absunt Almainus, Joannes Major, Gerson, aliique Majores scholæ Parisiensis. Richerio præivit quoque celeber ille Doctor Hispanus Alphonsus Tostatus, Abulensis Episcopus, quem Richerius atque Febronius sæpius citant. — II. Doctrinam Richerii, quamvis a suo auctore revocata fuerit (de quo legesis Veith, loc. cit. cap. III, *Crisis in*

maxime Constantiensis concilii temporibus, exceptionem in casu hæresis aut schismatis pati debere visum fuit multis, negantibus aliis. — Nihilominus post hæc, uti certa in Galliis aliisque regionibus habita fuit *superioritas* generalis concilii supra Papam in casu prædicto hæresis atque schismatis. Viden' modo extraordinariam in Ecclesia admissam Aristocratiam? Extra casum vero hæresis atque schismatis, in Galliis opinione liberum, tam in clero, quam in academia Parisiensi ratum fuit alterutrum sentire; extra Galliam autem ea concilii superioritas prorsus negata est. — Verum an. 1682 quorumdam Gallicanorum præsulum eo processit audacia, (quam, per me licet, minuant adjuncta temporis) ut de ceterorum numero longissime plurimorum præsulum opinione præsumentes in propriam regisque sui vindictam adversus Pontificiam potestatem cum summo Ecclesiæ præjudicio solemniter declaraverint Ecclesiæ *Gallicanæ* doctrinam esse : generale concilium, sine ullo discrimine Papæ præstare tam in administranda Ecclesia (et quod hujus rei consequens est) quam etiam in dijudicanda doctrina, seu : dari pro Ecclesia *universali Aristocratiam*, pro singulis vero Ecclesiis, ex quibus componitur *universalis*, provisoriam *Monarchiam*, conditionatam et non absolutam, subditam et non

---

palinodias a Richerio editas), multos tamen habuisse ad nostra usque tempora sectatores, imprimis Jansenianos et Febronianos, a quibus non longe absunt neologi Germaniæ et Austriæ Canonistæ atque Dogmatici. Cf. J. B. Faure, initio *Dissertationis suæ adv. Richeristas* (Apud F. A. Zaccariam, *Thesaur. Theol.* tom. XII, Controv. 2, de Ordine, Opusc. IV.)

supremam, a Christo ipso summæ sapientiæ Deo institutam (1). Atque inde opinio illa quæ *Gallicana* vocata fuit, quoniam adversabatur *catholicæ* doctrinæ,

(1) Ita declarationis art. II. « Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, » ac Petri successoribus, Christi vicariis, rerum spiritualium » *plenam* potestatem (*N. B. Limitatur decretum œcumenici concil.* » *Florentini*), ut simul valeant, atque immota consistant sanctæ » œcumenicæ synodi Constantiensis, a Sede Apostolica compro- » bata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu » confirmata (*hæc omnia falsa*) atque ab Ecclesia Gallicana » perpetua religione custodita decreta *de auctoritate conciliorum* » *generalium*, quæ Sess. IV et V. continentur; nec probari a » Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint » auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, *aut ad solum* » *schismatis tempus* concilii dicta detorqueant. » Ita juxta Basileenses.

Art. III. « *Hinc* Apostolicæ potestatis (*cum non absolute plena sit* » *ex art.* 2.) usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos, » et totius mundi reverentia consecratos. »

Art. IV « In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pon- » tificis esse partes ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias » pertinere, nec tamen *irreformabile* (*sed provisorium tantum*) » esse judicium, nisi *Ecclesiæ* (an Richerianæ aut Aristocraticæ, » collectæ vel dispersæ? declaratio non declarat) *consensus acces-* » *serit.* » — *Ultramontanis*, uti vocant, visi sunt semper oleum et operam perdere, qui (uti Soardi, Bouvier etc.) declarationem hanc, quæ ab ipsis suis auctoribus regeque Lud. XIV fuit revocata atque rejecta, a Rom. vero Pontificibus, Innocent. XI, Innocent. XII et Alex. VIII damnata, ab omni labe defendere conati sunt. Quam noxia Ecclesiæ fuerit declaratio in causa janseniana et quomodo ipsa in perturbationem Gallicanam a. 1792 influxerit ostenditur in : *Lettre de M. Van-Gils sur les sentimens de la faculté de Théologie de Louvain, par rapport à la déclaration gallicane de* 1682. (V. *Le Nouveau Conservateur Belge*, t. X, 1834, p. 488 et suiv.), et in opere : *Le système gallican, atteint et convaincu d'avoir été la première et principale cause de la révolution française*, par M. Poitiers.

sive illi, quæ in ceteris regionibus omnibus ubique tradebatur, apud Gallos Theologos vulgo fuit recepta atque in scholis tradita, Ecclesiæ vero Gallicanæ agendi ratione sive praxi non semel neglecta, maxime quidem infelicissimo illo tempore, quo laboriose decertatu opus fuit adversus versipellem Jansenianorum sectam, quæ contra Episcoporum Ecclesiæque judicia declarationiplurimum enitebatur; atque præterea in caussa novæ diœcesium circumscriptionis a. 1802 (1).

---

(1) Circa germanam Gallicanæ Ecclesiæ præsulum veterum et recentiorum sententiam pro superiori conciliis generalibus fallique nescia Rom. Pontificis auctoritate, circa declarationem quoque a. 1682 Gallorum sententiam neutiquam declarantem, ejusdemque *Defensionem* Bossuetio falso, certe qualis ad nos pervenit, adscriptam consule Soardi, op. cit. Petitdier, op. cit. Charlasium, op. cit. Sfondrati, *Gallia vindicata*, diss. IV. Kilber, *Princip. Theol.* n. 99. Muzzarelli, *Opusc. l'infaillibilité du Pape.*—Vid. quoque *Les vrais principes de l'Eglise gallicane*, par Mgr. Frayssinous. — Germanam profecto numquam dixerim illustrium Galliæ Antistitum doctrinam esse eam, quam tradunt *Launoyus*, *Dupinius*, *Maimburgus*, *Fleuryus*, *Tournelius*, *Natalis Alexander*, *Hooke*, atque Jansenii sequaces. — Notandum præterea hosce doctores aperte fateri Aristocratico suo systemati Richerianam Democratiam fundamentum esse; *Tournelii* et *Natalis* verba hic adferam. Hæc dicit Tournelius, *De Ecclesia*, tom. II, p. 114. « Jurisdictio *formalis* in » fonte, origine ac radice toti societati collective competit, executio » vero et usus præcipuis hujus societatis membris atque inde est, » quod uni Petro nominatim detur potestas clavium seu jurisdictio » in utroque foro interiori et exteriori, quantum ad usum et ministerium, ipsi vero toti Ecclesiæ, quantum ad fontem, originem » et radicem. » Num *Richerius* quid clarius habet? — Multis probato Richerismo concludit richerista Natalis, *Hist. Eccl.* Sæc. XV et XVI. Diss. VIII n. 54. « Ex his porro omnibus evidens est, inconcussum manere principium istud ex Scriptura S. et tradi-

§ 8.

a) Janseniani et Quesnelliani. — Espenius.

b) Richerismus et Gallicanismus, (*nunc Democratia nunc Aristocratia mixta quadam Monarchia.*)

1. Cum, monente ill. Archiepiscopo Cameracensi (1) « omnium hæreticorum interest, hoc principium » statuere : *Claves immediate Ecclesiæ a Christo datas* » *esse ;* siquidem ut hæreses invalescant necessaria » est independentia, nec possunt æquo animo ferre » legitimam auctoritatem, quæ eas opprimere debet » ; inde factum, ui Richerii errores præ ceteris magno studio propagaverint Janseniani et Quesnalliani, genus hominum ecclesiasticæ et civili potestati infensissimum, quod ad id constanter tendebat, ut Papam Episcopis coæquarent, Episcopos presbyteris, presbyterosque plebi, atque omnem tandem Ecclesiam sub imperium cogerent politicæ potestatis, aut hac etiam sublata, sine principe, sine lege viverent (2).

Homines illi subdolissimi initio factionis suæ non

» tione acceptum et a *S. Augustino* aperte, frequenter, perseve- » ranter, traditum et inculcatum (!), *claves toti Ecclesiæ a christo* » *datas, immediate ipsi* collatam a sponso auctoritatem ligandi » et solvendi ; potestatem jurisdictionis in tota universalitate Ec- » clesiæ principaliter residere : quod (N. B.) unum est ex funda- » mentis sententiæ, quam Ecclesia et S. Facultas Parisiensis pro- » pugnant, asserentis, concilium œcumenicum superius esse » Romano Pontifici. » Confirmatur ex his quod § 4 diximus supremæ Aristocratiæ a patronis suis positum fuisse fundamentum Democratiam. Cf. quoque Frey, *Kritischer commentar ueber das Kirchenrecht. II Th.* § 28.

(1) *Instructio pastoralis.* a. 1728.

(2) Cf. Auctor operis, *Tradition de l'Eglise,* p. 29, ubi dicit : « Le

aliam plerumque doctrinam, quam quæ declaratione Gallicana tradebatur, tenere visi sunt, sed data constitutione *Unigenitus* eaque legitime probata consensu Episcoporum catholicorum, ne ipsi Ecclesiæ auctoritati et doctrinæ impudenter obsistere viderentur, tam *varia systemata*, Gallorum doctrina abutentes, excogitarunt de necessario illo consensu Ecclesiæ rite explicando, ut ea ad undecim usque numerarit ill. J. Languet Episcopus Suessionensis (1). Sed ad majorem etiam numerum deinde excrevere, arbitrariis legibus de illa Ecclesiæ acceptatione pro libitu ab ipsis propositis (2). Atque tandem (ad quid enim non mortalia pectora cogit sacra novitatis fames!) ad Riche-

» principe fondamental de tous les systèmes inventés pour dépouiller » le Pape de sa juridiction, est que la souveraineté spirituelle réside » dans le peuple, et que les pasteurs par conséquent ne sont que » ses délégués, ses ministres ou comme ils les appellent, des *chefs* » *ministériels*.... Cependant comme on avait besoin de l'appui des » princes, on a flatté leur ambition en les représentant comme » les avoués du peuple et les exécuteurs de sa puissance. en sorte » que la communauté leur ayant confié ses droits par le pacte so- » cial, ils réunissent dans leurs personnes le pouvoir politique » et le pouvoir religieux tout ensemble. Il faut convenir, que » cette doctrine, mise de nos jours même en pratique par Jo- » seph II, avec les succès qu'on sait, est ce qu'on a jamais imaginé » de plus pernicieux en soi, et de plus formellement contraire » à la doctrine de l'antiquité. » Vid. quoque Fr. Gusta, *L'influence* » *des jansenistes dans la révolution française*. Ferrare 1794.

(1) *In III Monito pastorali*, quod ad Appellantes scripsit 28 Nov. 1718.

(2) Inter cetera longe pessimum fuit effugium illud, quo omnium Episcoporum consensum postularunt unanimem, et eum quidem non moralem, sed physicum et absolutum, adeo ut certum Ecclesiæ judicium haberi non possit, cui aliquis Episcopus, aut

rismum sese converterunt, ut ita omnes Pontificum bullas, atque censuras contra se latas eludere liberrimeque rejicere valerent. Namque, juxta Richerium, cum omnis principatus (ecclesiasticus et politicus) quoad « vim coactivam ab hominum consensu pendet (1) », inde quoque fidelium omnium etiam laicorum, quorum cœtui ex ejus doctrina jurisdictio ecclesiastica primario inest et in ceteris tantum ut in ministris, ad omnem censuram ecclesiasticam, ut *actu*, prout schola dicit, obliget, consensus est necessarius. Hanc Richerii doctrinam profiteturQuesnellus (2), dum dicit : « Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet » ut eam exerceat per primos Pastores *de consensu præ-* » *sumpto totius corporis* », atque Van Espen, qui ita ait (3) : « Quantumvis autem labentibus sæculis exerci- » tium clavium, atque ab his dependens auctoritas ex- » communicandi transierit ad solos Ecclesiæ ministros, » et ecclesiasticos judices, ut nec multitudinis, nec » Ecclesiæ particularis consilium expetatur, nihilomi- » nus ipsa clavium potestas principaliter remanet, et » remansura est penes *Ecclesiam*, cui a Christo in per-

---

aliqua insignis Ecclesia adversetur, quin absolutam hanc unanimitatem etiam ad œcumenicum concilium transtulerint, atque, ut hoc etiam sic valeat, acceptationem Ecclesiæ dispersæ exegerint, ut nempe ita libere in circulo luderent. Cf. Bolgenius, *Rispostà al quesito cosa è un appellante*, n. 249, et 282, et Cappellari, nunc SS. Pontifex Greg. XVI (quem Ecclesiæ suæ bono incolumem diu sospitet Deus) in op. cit. c. XVII.

(1) *De eccl. et polit. potest. C. II.*

(2) *In sua Prop.* 90 a Clem. XI *proscripta.*

(3) *Tractat. de censuris*, c. II, § I.

» sona Petri et Apostolorum data est, cujus nomine » eam exercent ejus *Ministri* (1) ».

Dum ita hæc illi subdoli perversique viri errorum suorum profugia quærunt, ill. Gallicanæ Ecclesiæ præsules, qui eos ab ipsis præpedirent, declarationis an. 1682 doctrinam relinquere coguntur, atque tum scriptis tum actibus suis prope Romani fiunt.

2. Quæ hic ad Espenium attinent, hoc loco breviter ex Backhusio nostro (2) monuerim. Zegerus Bernardus ille Van Espen in Alma Universitate Lovaniensi J. U. Doctor et SS. Canonum professor, a juventute in collegio pontificio Lovanii, famoso Doctori Huygenio Jansenianæ doctrinæ labe infecto

(1) « Dès l'origine du jansénisme, dicit Auctor operis, *Tradition de l'Eglise sur l'institution des évêques*, pag. 37, Ses sectateurs comprirent qu'ils ne pouvaient se défendre contre les » censures des Papes qu'en se réfugiant dans le Richérisme. *Si le jansénisme est condamné*, écrivait M. de Sainte-Beuve au fameux » docteur Saint-Amour (1653), *ce sera une des choses les plus désavantageuses au St.-Siége, et qui diminuera dans la plupart des esprits le respect et la soumission qu'ils ont toujours gardés pour Rome, et qui fera incliner beaucoup d'autres dans les sentiments des Richéristes... Faites, s'il vous plaît, réflexion sur cela, et souvenez-vous que je vous ai mandé, il y a longtemps que de cette décision dépendra le renouvellement du Richérisme en France.* » Cf. præterea Veith, *Richerii system. confut.* § 42, n. 15, et § 54, n. 51. et *Monitum* editoris edit. Mechlin. 1825. J. B. Faure, *Dissert.* supra. cit. — Hinc quoque, teste la Fontaine, tom. III, *ad constit. Unigenit.*, p. 1141 Jansenistæ Richerii librum : *De Eccl. et pol. pot.* contempta Sedis Apost. contra hoc opus sententia, in Belgio iterum typis ediderunt; sed more suo perfide, suppressa silentio catholica auctoris palinodia.

(2) *Acta Z. B. Van Espen... Circa Missionem Hollandicam* : auctore Wilhelmo Tilemanno Backhusio; edit. Mechlin. 1827.

quoad vixit vir ille, cohabitavit. Quesnellio quoque in intimis fuit, atque inde acerrimus ipse Jansenianæ factionis fautor et patronus, Utrajectini etiam schismatis promotor factus est, eorumque deinceps qui gravi odio prosequuntur Rom. Pontifices, deque eorum potestate multum detrahunt, fortasse concessit nemini. Animadvertens namque hic *Antoninus consiliorum* (1) Jansenianis a S. Sede non modo nihil præsidii exspectandum, verum etiam multum semper timendum esse, mox ecclesiasticam jurisdictionem, ac potestatem, quæ a plurimis jam annis Jansenianæ doctrinæ fautores in Belgio jure meritissimo prosequebatur, nullibique eos consistere patiebatur, arrodere, imo destruere totus incubuit, atque ne brevi de sua factione actum foret, ad potestatem laicam, ad consilia, ad concilia regia oculos suos, quemadmodum ceteri Janseniani, conjecit, spe apud eos magistratus adversus Episcopos, ipsumque S. Pontificem præsentissimum se inventurum præsidium. Horum ut subsidium consequerentur Janseniani, laicam potestatem ad cœlum usque extulerunt, ecclesiastica imminuta imo depressa, eaque laicæ, uti ancilla substrata. Jura finxere, eaque ut antiqua laicæ potestati adjudicarunt; quæ ætas nempe majorum ignoravit, et quæ nec ipsi principes prætenderunt, imo aperte rejecerunt. Nihilominus Janseniani qua voce, qua scrip-

(1) Quo nomine, ad instar S. Antonini, Florentini Episcopi, qui propter scientiarum copiam dictus est *Antoninus consiliorum*, appellatus est Espenius, quoniam apud jansenianam sectam ob juris scientiam magni nominis esset, totique factioni a consiliis et advocatus fidelis.

tis apud eos Magistratus quodammodo lamentabantur, indies sacra principum patriæque jura ab ecclesiastica potestate conculcari, atque in hoc nil nisi in patriam zelum affectumque eructare videbantur. Verum quis non videbat eos sibi soli studere? potestas laica amplificanda erat, quia ab altera sibi timebant. Hunc in finem Espenius magnæ molis opus (a. 1700) in lucem edidit : *Jus Ecclesiasticum universum*, quo in libro vel minima, ubi sese offert occasio, nihil ipse omittit, quantum facere enitique potest, ut Romanorum Pontificum auctoritatem imminuat, eorumque scita vel elevet vel in aliquam suspicionem adducat (1).

(1) Damnatum hoc opus fuit a Sede Apostolica per speciale Breve an. 1704 et cetera ejusdem opera omnia, an. 1734. — Espenii *Jus eccl. univers.* Jansenii asseclæ mirifice ubique prædicant; at catholici id maximam partem affirmant vulgo excerptum ex libris pessimis, quos Sedes Apostolica jam dudum proscripserat; quales inter alios sunt : *De Concordia Sacerdotii et imperii* (De Marca) : *Traité de l'abus* par Fevret : *opera Caroli Molinæi :* (Du Puy) *Traités des droits et libertés de l'Eglise Gallicane : Preuves des libertés de l'Eglise Gallicane.* Quidquid vero Espenius laudabile habet eamque quæ suum opus commendat historiæ et antiquitatis cognitio, plerumque ex Thomassino desumpsit, cujus tribus amplissimis voluminibus : *De vetere et nova Ecclesiæ Disciplina* evolvendis multis annis ante editionem operis sui totus incubuisse ac ea eodem ordine et titulis in breviorem formam reduxisse dicitur. Si Thomassinum per omne fuisset secutus et ab eo probata probasset, negassetque negata et suos errores non immiscuisset, opus ejus profecto non fuisset damnatum, sed quod ad materiam pertinet, Thomassinum deserens, antiquissima, quæ hic ex primis sæculis profert, Espenius aut summa impudentia, nihil hæsitans, quasi de tripode Delphico pronunciat recenti memoria constituta, aut prætermittens statim ad IX, X, XI, vel XII sæculum transit; quoniam festinandum erat, atque sine mora et delectu perficiendum opus, quod ad factionis tutelam inservire debebat.

Idem quoque scopus Espenii laboris fuit in suo libello *De recursu ad principem ;* in suo *Tractatu Historico-Canonico de censuris ecclesiasticis* et — *De promulgatione legum ecclesiasticarum.* Intendebat scilicet ipse ecclesiasticæ potestatis apud laicos contemptum inducere, ad eos quoque eam totam transferre, illosque de æquitate censurarum judices constituere ; intendebat ipse amicorum patricinio omnes avertere adversus Jansenianam doctrinam bullas dogmaticas, simul cum eis quæ Libros prohibent. Nonne id ipsum quoque movit magna contentione urgere *placeti regii* necessitatem ? Ex his omnibus longe abesse videtur Antoninus ille perversorum consiliorum ab iis laudibus, quibus a Jansenianis immerito fuit cumulatus. Quare « nullatenus ambigo, ita suo tempore dicebat Bach» kusius (pag. 126), quin omnes in Belgio Aus» triaco probe catholici, tam Theologi, quam Juris » periti, iis, quæ judicio ipsorum subjeci mature » perpensis, mecum vel nomem Espenii deinceps » cum execratione sint audituri, ac indies magis ma» gisque ejus pleraque opera sint detestaturi, quæ 50 » fere annorum spatio, solius Jansenianæ factionis in » Belgio contra potestatem Ecclesiasticam fovendæ » ac conservandæ gratia in lucem edidit (1). »

(1) Quidquid ulterius ad fatum Espenii pertinet, præclare depingunt Cameracensis et Ebredunensis Archiepiscopi in pastoralibus suis institutionibus, quas an. 1731 edidere adversus commentarium inscriptum : *Mémoire pour les sieurs Samson etc.*— Quorum prior (pag. 39) ait : « Pour les établir (les nouveaux prin» cipes de la secte) les 40 Jurisconsultes n'ont guères cité, » que l'autorité méprisable d'un Van Espen si connu par son

§ 9.

a) Febronius-Febronianistæ (Josephistæ).

b) Episcopale systema.— Sive Democratia cum delegata ab hac Aristocratia supremæ jurisdictionis et Primatia honoris et delegatæ auctoritatis absque jurisdictione.

a) Recentiores Germaniæ Canonistæ atque Dogmatici.

b) Systema Episcopale.—Sive Aristocratia suprema cum Monarchia provisoriæ et subditæ jurisdictionis.

1. Pervenimus modo ad illum perquam lascivientis ingenii virum, cujus systema duobus verbis non nemo vere expressit : *Reformatio Anglicana*, ad Justinum puta Febronium, sub quo nomine latuit Joan. Nico-

» attachement opiniâtre au parti *janséniste*, dont les écrits rem-
» plis d'erreurs ont été proscrits par l'autorité publique, qui pour
» ces mêmes erreurs a été juridiquement chassé de sa chaire de
» professeur et suspendu de ses fonctions sacerdotales par l'U-
» niversité de Louvain, et qui ne pouvant plus trouver d'asile
» dans les Pays-Bas catholiques, a été obligé d'en chercher un
» dans le sein de l'hérésie, où il est mort depuis peu de temps
» dans la profession publique du schisme, dont il avait entre-
» pris la défense, et de l'erreur, dont il n'a jamais voulu se
» départir. » — Alter vero (pag. 6.) « Van Espen, canoniste
» flamand, dont la mémoire toute féconde est en horreur dans
» les Pays-Bas catholiques, partisan zélé de *Jansénius* et de
» ses erreurs. En 1725 il publia un ouvrage en forme de lettres,
» qui conformément aux ordres de l'Empereur, fut déclaré injurieux
» au Saint-Siège, scandaleux, et de dangereuse conséquence, et
» comme tel lacéré publiquement. En 1728 il fut condamné par
» une sentence du 7 Février à rétracter ce pernicieux écrit, et

laus ab Hontheim, Episcopus Myriophitanus *in partibus* et suffraganeus Trevirensis. Fuit Febronius ille in *Singulari Libro, quem de statu Ecclesiæ et legitima potestate Rom. Pontificis ad reuniendos dissidentes in religione Christianos* a. 1763 composuit (1), *Richerianæ Democratiæ* fautor (2), delegatæ ab hac *Aris-*

» par provision déclaré suspens, tant des ordres sacrés, que de » la chaire, et de ses autres emplois académiques. Enfin après » avoir épuisé toutes les voies de la chicane pour se maintenir en » possession de combattre l'Eglise dans sa patrie catholique, obligé » à chercher un asile à son opiniâtreté dans une terre étrangère, » il est mort en Hollande, comme il avait vécu, dans la profession » du schisme et de l'erreur ». — De Espenio et adv. illum Cf. præter Backhusium, J. C. Deckeri, *Annotationes.... in librum cui titulus : Jus eccles. univers. etc. Leodii* 1718. *in*-4° — et *Animadversiones in librum damnatum cui titulus : Tractatus de promulgatione legum ecclesiasticarum. Hasseleti* 1716, in-4°. — Petri Govaerts *Opuscula adv. Espenii Doctrinam de placeto regio*, edit. P. F. X. de Ram, *Lovanii* 1830. in-8°.

(1) Hic liber damnatus fuit Decreto 27 Febr. 1764. — Frebroniani operis historiam variaque fata videsis apud Zaccariam, *Antifebr. vindic.* diss. I, c. I.

(2) Cap. I, § 6. aperte illum errorem docet juxta *Tostatum Abulensem*, dicens : « potestas clavium *universitati Ecclesiæ* a » Christo data est. Illam hæc per *Ministros* suos exercet, inter quos » Rom. Pontifex primarius quidem est, nihilo tamen minus uni- » versitati subordinatus... 3) Cum itaque Ecclesia ipsa *principa-* » *liter et radicaliter* obtineat potestatem clavium, quæ ab illa » in omnes ejus *Ministros*, ipsumque S. Pontificem derivatur, » et singulis quibusque pro sua portione communicatur, hinc » sequitur, Ecclesiam *juxta propriam suam Dispensationem*, id » est, *Canone* regi; *conciliorum* (quippe quæ, N. B., totam » Ecclesiam repræsentant) auctoritatem superiorem esse illa *cu-* » *jusque Ministri*, etiam *summi*; Papam non posse abrogare le- » gem in concilio universali latam; aut ab ejus observatione dis- » pensare, nisi de consensu *saltem præsumpto* concilii, id est,

tocratiæ supremæ cum Gallicanis, ut contendit ipse, defensor (1), atque cum M. A. de Dominis aliisque Primatus hostibus *Monarchiæ Pontificiæ* ad odium usque adversarius. Dempto enim omni, quod jurisdictionis nomine gaudet, Romano Pontifici relinquit concedítque tantum *directivam*, ut vocat, *auctoritatem* in omnes solum Ecclesias particulares, illius quoque *directivæ* auctoritatis pontificiæ ipse pro arbitrio suo jura, vigilantiæ scilicet et inspectionis statuit, atque

» *in eo casu*, quo concilium ipsum dispensaturum fuisset; Episcopos in generali synodo congregatos esse judices omnium » controversiarum ecclesiasticarum, et personarum, atque ipsorum etiam Pontificum Rom. si in fide, officio vel moribus peccent, frequentem conciliorum celebrationem perutilem esse, et » vix non necessariam — Cap. VI, § VII. » « Concilia generalia » *absolute* necessaria esse Ecclesia sæpius agnovit. »

(1) Id jam patet ex loco allato. Præterea cap. VI, § I de conciliis generalibus ait « Constat a generali concilio universalem » Ecclesiam repræsentari, non item a solo Rom. Pontifice. — » Constat item generalia concilia legitime congregata suam immediate a Christo habere auctoritatem » Sed quomodo? Audias: « quia quæcumque de auctoritate Ecclesiæ dicuntur, trahi ad » generale concilium, quod illam repræsentat, necesse est; alioquin non recta esset repræsentatio, si eadem in repræsentante » et repræsentato auctoritas non esset. » — Cap. VII, § 1 de auctoritate Episcoporum singulorum docet « Christum Episcopatum instituisse, eique propria jura attribuisse indeque colligi » æqualem omnium Episcoporum auctoritatem » sive jurisdictionem universalem qualem habuerunt Apostoli per universam Ecclesiam, quæ tamen ad rectam ordinatamque Ecclesiæ administrationem ad certam diœcesim limitatur exercendaque habetur juxta canones Ecclesiæ; verum extra ordinem ad omnem Ecclesiam porrigitur, — Pergit et addit n. 8 « Utique *ab Ecclesia* » penes quam omnem sacram potestatem residere probavimus » c. I, § 6 Jurisdictio in singulos prælatos a summo ad infimum » usque pro sua portione dimanat. »

determinavit (4). Ex his perspiciet facile quilibet novum sibique privum errorem nullum protulisse *Febronium*, contra perquam fidelissime excepisse ea

(1) Hic ipsius habeto de pontificiis juribus propriis verbis expressum systema : Cap. II, De *Primatu in Ecclesia et genuinis ejus juribus.* — § I. « Quamvis juxta relata cap. præced. in » Ecclesia *non sit status monarchicus* nec *Monarcha* proprie dictus » inde tamen non sequitur, in ea neque Primatum esse, ne- » que Primatem. Econtra quisquis unitatem Ecclesiæ agnoscit, » facile intelliget, quantum ejusdem intersit esse *primum aliquem* » *inter Episcopos*, qui bono communi principaliter intentus con- » tinuo invigilet, ut arceantur profanæ novitates, disciplina eccle- » siastica servetur integra ». — § II. « Fundamentum hujus Primatus » est bonum unitatis in Ecclesia. » — Exinde genuina Primatus jura determinat § IV. « Cum genuinum fundamentum ejusdem » Primatus *in bono unitatis ecclesiæ* supra § 2. invenerimus, » hinc pro principio statuemus, *omnia illa et sola esse primogenea* » *et essentialia jura primatus, sine quibus unitas non potest ser-* » *vari.* Quia autem in applicatione hujus regulæ facile affectibus » indulgere posset; aliis eam ad superfluum dominatum exten- » dere, aliis illam cum præjudicio unitatis nimis coarctare vo- » lentibus; hinc ut in re tam gravi, et ad justum Ecclesiæ regi- » men pertinente, æqua ponatur ratio, certius aliud et prudentius » ad tollendas quascumque enascituras difficultates ac dubia non » supererit medium, quam ut circa singulas præfati Primatus » partes ejusque jura consulamus *constantem usum et disciplinam* » *Ecclesiæ;* non quidem qualis fuit, postquam falsi canones plu- » rima in jure publico ecclesiastico corruperant, sed *qualem pri-* » *mis sex vel septem sæculis* cum maximo Ecclesiæ bono et uni- » tatis (post heu nimium ruptæ, et prout nunc res sunt ægre » restaurandæ) conservatione viguisse ex scriptis Patrum, actis » conciliorum ipsorumque Rom. Pontificum gestis evincitur. Inde » n. 3) quamquam penes S. Pontificem solum legislatoria potestas » respectu universalis Ecclesiæ non resideat, nihilominus in magna » congregandorum generalium conciliorum difficultate condere » potest leges generales, easque toti Ecclesiæ proponere obser- » vandas, non ante tamen vim habituras, quam communi con-

quæ protestantes, quæ Richerius et Marcus Antonius de Dominis, quæ Janseniani et neoterici Galli jam prius tradiderant. Infiniti essemus, si omnia singulatim enarrare atque hominis hujus levitatem, inconstantiam, contradictiones plurimas seperaddere vellemus.

2. Duo tamen maxime notanda non praetermiserim, nimirum : sæculo hoc 18 ad finem vergente, sive perquam *famosæ Epochæ Josephinæ* tempore tot tantasque juris Ecclesiæ publico superfusas a Jansenianis Febronianisque exstitisse divinarum atque canonicarum notionum calignes, ut actum deinceps fore de illo jure, imo de ipsa etiam Ecclesia prudens quilibet rei æstimator pronus fuisset judicare. Apprime quippe sciebant homines illi, qui toti quanti in Ecclesiæ perniciem unice studebant, omnia vel ideo turbanda esse, quoniam, quod etiam apud Belgas in proverbio est, dum turbatum est flumen, piscatorum est lucrum.

Adeoque — II hacce Josephi II epocha et post hanc etiam periodum fuisse inde homines ultra quam dici

---

» sensu fuerint receptæ. » — Hinc. n. 4) « Rom. Pontifex definitiones de fide et moribus dare poterit, quibus *provisorie* obsequendum sit ad non dogmatizandum confrarium, quam diu Ecclesia non reclamat » — Hinc n. 7) « æquum est, et patitur universalis » Ecclesia, ut R. Pontifex tanquam caput in legibus a conciliis, » etiam generalibus latis, sapienter dispenset eo scil. *casu*, quo » ipsummet concilium dispensaturum esset. » — Hinc n. 8) inter » judicia *supremum*, non quidem simpliciter, certo tamen modo » per concilia, et omnium quidem primo per Sardicense a. 347 » Rom.Pontifici attributum est.» Viden', modo jura Romani Primatus *essentialia, primogenea? Vultin' scire spuria? Sunt cetera omnia.*

potest, vertigine raptos, qui non modo Febronii vestigia premere, sed etiam quantum facere enitique potuerunt, dilatare conati sunt. Num fors ego somnia narro, aut potius impia illa, quæ nemo nescit, conamina refero, Eybelii scilicet (1), Scipionis de Ricciis famosæque suæ Pistoiensis diœcesanæ synodi (2) et Embsianorum quoque Punctatorum (3)?

His merito proxime junxeris Riegger, Rautenstrauch Pehem, Gmeiner, Oberhauser, Freykirch, Hedderich, Noémer, Michl, Sauter, Wiese, Brendel, Dalpozzo, etc. Qui vero cum Febronio non quidem aperte senserunt, ex eo tamen, quemadmodum ex Gallicanis, et Jansenianis ad nostrum hoc usque tempus multum profecerunt, imprimis nominandi hic sunt

---

(1) In suo libello Vienniæ Austriæ edito, cui titulus : *Was ist der Pabst?* quem damnavit Pius VI PP. M. in Brevi : *Super soliditate*, edito die 28 Nov. 1786; eum quoque refutavit Cl. Gerdil, *Confutazione di due libelli.* 1789. 2 vol. in-4°, atque Cl. Mamachius : *Le lettere di pisto Aletino* 1790, 2 vol. in-8°.

(2) Quam damnavit Pius VI per Breve : *Auctorem fidei*, 28 Aug. 1794, pro quo scripsit Auctor : *Esame de Motive dell' opposizione alla Bolla* : *Auctorem fidei. Roma* 1800, 2 vol. in-8.

(3) *A* 1786, *In fumosis suis* 23 *Embsani balnei articulis.* Cf. Pii Papæ VI *Responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem, Romæ* 1789. — Pistoiensi et Embsiano conventibus similis est ille *Badensis*, cujus « articulos » continentes assertiones falsas, temerarias, erroneas, S. Sedis juribus derogantes Ecclesiæ regimen ac divinam ejus constitutionem » evertentes, ecclesiasticum ministerium sæculari dominationi » subjicientes, ex damnatis principiis dimanantes, hæresim sapientes, schismaticas » damnavit Gregorius PP. XVI, *Epist. encyclica ad Episcopos, capitula, parochos, ceterumque clerum Helvetiæ.* Incip. *Commissum divinitus,* 16 cal. Jun. a. 1835. Apud Kersten, *Journal. histor.* t. II, pag. 181.

Andr. Frey (1), M. De Schenkl cum suo editore J. Scheil (2), Rechberger (3), Gambsjäger (4), Droste-Hulshoff (5), Cherier (6), Hermesiani atque Dogmatici Germaniæ recentiores fere omnes (7). Etenim illi statuunt : 1° Christum corpori Apostolorum et Episcoporum soli supremam in Ecclesiam jurisdictionem per se proxime contulisse (Aristocratia divini juris, sola suprema), Petro autem quædam jurisdictionis jura singularia, ad certos scilicet fines facilius adsequendos, ab eodem Christo data esse (Monarchia divini juris cum provisoria subditaque jurisdictione). 2° Illos fines eaque Primatus jura, juxta Febronianam regulam alii aliter arbitrario definiunt. 3° Multi denique sequuti protestantes, Richeristas, Jansenianos et Febronianos ecclesiasticæ potestati contra fas omne multa detrahunt, ut ea laicæ auctoritati adscribant. Itaque sæculo etiam, quo vivimus, ut verbis utar S. Pontificis hodie gloriose Ecclesiam gubernantis, « vexatur acerrime Romana » Petri Sedes, et vincula unitatis indies magis labe- » factantur. » (Encyclica 15 Aug. 1832.)

3. Sed temporis verborumque parcus hic sistam.

(1) *Kritischer Commentar ueber das Kirchenrecht.* Bamberg 1818.

(2) *Institutiones juris ecclesiastici.* Landishuti 1830.

(3) *Enchiridion juris ecclesiastici Austriaci.* Lincii 1824.

(4) *Jus ecclesiasticum.* Heidelbergæ 1815.

(5) *Grundsätze des gemeinen Kirchenrechtes.* Munster 1828.

(6) *Enchiridion juris ecclesiastici.* Pestini 1839.

(7) Eandem opinionem quondam etiam amplexus fuerat Cl. Walter, Bonnensis professor, atque Canonista sincerus in libro : *Lehrbuch des Kirchenrechts.* 3te Aufl. Bonn 1825. §§ 20. 23. 24. 111. 112. Verum hoc opus penitus immutavit an. 1836, 7te *Aufl.* vid. §§ 120-124.

Qui a tempore Constantiensis concilii singula auctorum systemata opinandique modos diligenter atque enucleate tradere vellet (quo tamen utilius nihil esset) infinitus profecto foret. Ex iis quæ ita brevissime cursimque a nobis dicta sunt , qui ea vel leviter animo repetiverit , perspiciet facile , ab exordio suo episcopali systemati pro fundamento plerumque subfuisse Democratiam. Hanc recentissimi Germaniæ Canonistæ rejicere quidem videntur , Aristocratiam tamen , quadam Monarchia mixtam , seu , uti vocant , *Christocratiam* (1) tradunt. Adversus eos omnes, quos hostes nocentesque

---

(1) Monitum hic volo , Aristotelicis hisce loquendi formulis *Monarchiæ* , *Aristocratiæ , et Democratiæ* usum me esse brevitatis gratia. Ne igitur ob verba Christocratici irascantur mihi. Quid iis intellexerim , dicam. Meram *Monarchiam* Juris divini in Ecclesia adesse censeo , si unus *solus* omnem rectoriam Ecclesiæ potestatem immediate ab ipso Christo acceperit ; meram *Aristocratiam* strictam vel latam , si plures , numero minori vel majori , veluti omnes Episcopi , vel insuper presbyteri , regendi potestatem ita a Christo acceperint , (quæ Aristocratia præterea esse potest vel *in solidum* sensu nempe forensi , vel *pro indiviso* , prout nimirum vel in *singulis* vel in omnibus *collectim* illa potestas residet); meram autem *Democratiam ,* si coetui fidelium omnium potestas hæc concessa fuerit. Has formas simplices alteram cum altera miscite , et *mixtas* habebitis eatenus quidem quatenus miscueritis. « Re bene intellecta , de verborum usu Christocraticos faciles esse debere» monet Tullius , *Lib. III , de finib. bonor. et malor.* Juxta Cherier § 119 , « Regimen sine forma concipi nequit , *est autem forma determinatio personæ cui regimen in Ecclesiæ , competat.* » Formis prædictis omnes ejusmodi in Ecclesia personæ determinari possunt. Et tamen cum aliis multis autumatur hic auctor nullam ex Aristotelicis formis Ecclesiæ adplicari posse , nec simplicem nec mixtam , quare *Christocratiam* admittit. Quæ ipso docente consistit « in eo , quod sacra potestas, quam Christus Petro et Apos-

Primatui Pontificio hucusque enumeravi, ego libere confidenterque dicam, quod sentio, apprime siquidem gnarus, quam infirmis illi armis pugnaverint olim, pugnentque etiam hodie. Ut autem rem ex ordine prosequamur, stabiliemus — 1° B. Petro ejusque successori Rom. Pontifici, (*non ecclesiæ seu multitudini fidelium*), ab ipsomet Christo, fidelium societatis divino institutore proxime collatam fuisse universalis in universam Ecclesiam jurisdictionis potestatem, eamque —2° *a*) perse *plenam; b*) *supremam; c*) et *immediatam esse*. Huc totum quantum est, colineat hoc nostrum qualecumque opus. Quod si apte exequar (nitar quidem certe) futurum quilibet videt, ut quo cetera Democratiæ et Aristocratiæ systemata nitantur, fundamentum non habeant (1). Sed ad rem ipsam veniamus.

» tolis contulit, inhæreat quidem collegio Episcoporum, eam tamen » *singuli Episcopi habitu in solidum*, et in universa Ecclesia, » *actu* vero in portionibus sibi concreditis exerceant, præcipuo » autem modo illam exequatur Primas universæ Ecclesiæ ad unita» tem conservandam. » Hæc omnia nihil aliud indigitant quam Aristocratiam cum quadam Monarchia. Audias Dobmayer, *Systema Theolog. Cath.* tom. IV, § 152, p. 80, quem citat Cherier, « Die Form der Kirche ist Christokratie... *a*) Die sichtbare » Regierungsform in der Kirche ist keine einfache, 1) weder der » Demokratie, 2) noch der Aristokratie, 3) noch der Monarchie; » *b*) sondern sie ist *gemischt* aus Monarchie, die zur einheit dient, » und Aristokratie, die den Primat mässigt, oder hat wenigstens » mit dieser eine Analogie.»

(1) Alibi examinabimus, utrum Petrus *solus* omnem rectoriam potestatem *proxime ab ipso Christo* acceperit; an contra præter ipsum etiam alii. Collegium Apostolorum sive Episcoporum, conjunctim scilicet cum Petro, supremam quoque ita a *Christo* ac-

CAPUT II.

PONTIFICII PRIMATUS IN ECCLESIA NECESSITAS, EJUSQUE VEHEMENS RATIONIS POSTULATUM.

ARGUMENTUM.

§ 10. Necessitas primatus jurisdictionis *ex natura et constitutione Ecclesiæ ejusque fine.* — Patres.

§ 11. Hæc necessitas confirmatur a ratione — auctoritate protestantium — ab effectibus et experientia.

§ 10.

Necessitas primatus jurisdictionis ex natura et constitutione Ecclesiæ atque fine, qui in unitate consistit, per auctorem suum ipsi præstituto.

1. In limine hic, ne quis offendat, observatum velim, non illico, quæ ratio humana, ut fierent in

---

cepisse in Ecclesiam jurisdictionem, communis est inter recentiores Pontificiæ potestatis vindices sententia, qui eam præterea singulis Apostolis extra ordinem competivisse admittunt. Singulis Episcopis multi concedunt a Deo etiam immediate profectam particularem jurisdictionem, sed subditam, atque quæ limitari potest. Sibi quisque, ut hic obiter dicam, facile explicabit, qui factum sit, ut hæc mitigata et accommodationis doctrina inter Pontificiæ potestatis adsertores nunc communis evaserit, modo paulisper animum attenderit, quo sensu adversa opinio post Constantiense et Basileense concilia explicata fuerit apud Gallos Richeristas, Jansenianos et Febronianos. Nonne profecto, quo facilius ab errore reducerentur suo adversarii, ipsis concedendum erat, quod sine levitate, mea etiam opinione, concedi poterat?

societate positiva et voluntaria, qualis Ecclesia est, postulare videtur, ea facta revera esse ideo probari. Namque, ut exploratissimi juris axioma habet, non præsumenda sunt facta, sed probanda. Unde divinum institutionis et constitutionis societatis sacræ sive Ecclesiæ factum non *a ratione* imprimis, ut jam multis, in Germania præsertim, placet, sed per instrumenta authentica sacrasque istius fundationis tabulas, quas Scripturam et Traditionem authentice nimirum per Ecclesiam declaratas nominamus, probandum est. Non inde is mihi animus est, ut hic ipsam Primatus institutionem probare velim, cum Deus, qui potest omnia, et a cujus voluntate nobis impervia hæc institutio pendet, fors alio prorsus modo societati suæ providere potuisset. Unum autem, quod hoc capite agere volumus, est : 1° Primatus necessitatem, prout eam homo intelligit, ex perpensa Ecclesiæ positiva constitutione ostendere. 2° Rationis quoque postulatum addere, infra cap. III ex iis, quibus divina voluntas et continetur et declaratur fontibus, ipsam Primatus institutionem probaturi.

2. Omne id quod ad Primatus necessitatem ostendendam valet, huc redit : ita nempe *constituisse*

Nimirum 1° Corpus Episcopale habere supremam jurisdictionis potestatem, *sed non sine Papa;* immo et sine Papa, in casu puta necessitatis ob hæresim, schisma aut mortem Papæ. 2°. Singulos Apostolos a Christo accepisse universalem jurisdictionem, *sed extraordinariam* 3°. Singulos etiam Episcopos a Christo particularem suam regendi potestatem habere, *sed non usum et exercitium sive subditos*, etc. Verum nitantur ne veritate concessa hæc an non, alibi, ut diximus, perpendemus.

Christum societatem suam, ut ipsi pro fundamento posuerit *perpetuam unitatem et perpetuam universalitatem*, atque proinde, uti recte concluditur, posuisse quoque ipsum *perpetuum centrum* sive *principium* perpetuo conservans et efficiens illam unitatem et universalitatem. — 1) *Unitas* : quam serio eam voluerit Christus perpetuo in Ecclesia sua adfuturam, vel in primis patet ex tenerrima illa oratione, quam jamjam suos relicturus prolixis verbis ad patrem fudit (1) : « Pater sancte, inquit, serva eos in nomine tuo, quos » dedisti mihi : *ut sint unum sicut et nos*... non pro » eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui crediturus sunt per verbum eorum in me : *ut omnes unum* » *sint*, sicut tu pater in me, et ego in te, ut et *ipsi* » *in nobis unum sint* : ut credat mundus quia tu » me misisti etc ». Clamat inde Apostolus (2) : « Unum » corpus, unus Dominus, una fides, unum baptisma, » unus Deus et pater omnium, qui est super omnes, » et per omnia, et in omnibus nobis ». — 2) *Universalitas* : namque ad discipulos loquitur Christus (3) : « Euntes ergo in mundum universum, prædicate » Evangelium omni creaturæ, docete omnes gentes » baptizantes eos... docentes eos servare omnia quæ» cumque mandavi vobis ». Ex his patet, suam ita composuisse Christum Ecclesiam, ut licet ubique diffusa esse deberet gentesque complecti locis disjunctissimas, maximeque diversas lingua, moribus, institutis, nihilo tamen secius his omnibus, quo

(1) *Joann. XVII*, 11. *seqq.* — (2) *Ad Ephes. IV*, 4, *seqq.* — (3) *Math. XXVIII*, 19. *Marc. XVI*, 15.

tandemcunque locorum intervallo disjungerentur, *Una fides* necessaria foret, *una caritas et communio*, namque nulla universalitas sine unitate; at nulla quoque unitas sine centro, nullum centrum sine hierarchica subordinatione, nulla subordinatio sine capite et principe omnium. Et profecto quî istud fieri potuisset, ut gentes pene innumerabiles in unam eamdemque fidem et communionem convenirent, nisi omnes haberent unum commune caput et centrum, quod præesset ceteris, essetque nodus et vinculum, quod eas colligaret omnes.

3. Verum quemadmodum pro illa particularium Ecclesiarum multitudine, ex quarum copulatione una oriretur universalis Ecclesia, necessarium fuit unum caput, ita profecto in hoc capite necessaria erat illa regendi auctoritas, qua, uti caput, vere existeret Ecclesiæ unitatis et universalitatis atque inde sanctitatis et perpetuitatis activum, ut aiunt, principium (1), sive per quam innumeræ illæ particulares Ecclesiæ ad unam eandemque fidem et communionem, quæ capiti cum membris, hoc est, cum reliquis Ecclesiis communis est, interne et coram Deo serio cogerentur. Quid, amabo, profuisset creare caput, per quod omnium Ecclesiarum particularium unitas copularetur, nisi in hoc capite resideret ea cogendi auctoritas, per quam eadem unitas perficeretur? Quid profuisset? si particulares Ecclesiæ ab unitate impune discedere, et singulæ impune habere fidem suam et communionem possent, et ita Ecclesiam, quæ uti

(1) Cf. Zallinger, *Jus eccl. publicum. Cap. II, seqq.*

Christus eam instituit, una et universalis est, impune destruere, Christique doctrinam corrumpere aut ex sententiarum divortio incertam omnibusque imperviam reddere sine remedio valerent (1).

4. Quod patres spectat, quam effuse ipsi de hac Primatus necessitate dixerunt! Pro omnibus unus sufficiat D. *Hieronymus*, qui paucis id pulchre expressit, dicens : « Unus inter duodecim eligitur, ut capite » constituto schismatis tollatur occasio » (2). Illa unius

---

(1) Pulcherrime hic scribit Cl. Lacordaire, *Lettre sur le Saint-Siége* 1836, ubi dicit : « Il fallait à cette Eglise universelle, destinée » à traverser toutes les vicissitudes du temps, une force qui maintînt » en elle la triple unité de vie, d'intelligence, et d'amour, qu'elle » avait reçue de son divin Architecte ; car il ne suffit pas d'avoir » reçu, il est nécessaire de conserver. Si Jésus-Christ fût demeuré visible sur la terre, il eût été lui-même la force qui » eût ramené tout à lui, le centre d'où fussent partis, et où » fussent revenus, pour se répandre encore, tous les rayons de » l'unité. Mais il lui avait plu de ne pas immortaliser sa présence » sensible parmi nous, de nous laisser sa personne cachée sous » des symboles de vie, et sa parole renfermée dans la tradition » et dans l'Ecriture, toutes choses qui, ne pouvant se défendre » par elles-mêmes contre la division, avait besoin d'un dépositaire, un et permanent qui fût l'organe suprême de la parole » évangélique et la source inviolable de la communion universelle. Il fallait que Jésus-Christ, restant du haut du ciel le lien » mystérieux de son Eglise, eût en ce monde un vicaire qui » en fût le lien visible, l'oracle vivant, l'unité mère et maîtresse. » C'était de tous les miracles le plus grand à opérer, et entre les » événements au-dessus de l'homme, dont l'histoire du christianisme est remplie, il n'en est pas qui donne plus à méditer, » et où le bras de Dieu paraisse davantage. »

(2) *Lib. I. adv. Jovinianum*, n. 26. Oper. tom. II. Edit. Vallarsii. Veronæ 1735.

delectio, ille unius Primatus, non honoris solummodo esse debet, nec loci, nec antecessus, ut nempe primus sedeat, primus dicat, primus audiatur, sed supremæ in universos potestatis, *ut schismatis tollatur occasio.* Neque enim schisma sublatum esset per solius honoris loci prærogativam, et precariam quasi auctoritatem : nec etiam si sciant, cui deferre debeant Episcopi, cetera cum ipso pares, sed si sciant, a cujus debeant potestate pendere et potestate donari. Horsum non satis : habere in cœlis Regem gloriæ, Dominum virtutum, ovium suarum ac ovilis conditorem : ad hæc, et Spiritum Sanctum adesse Ecclesiæ ; nisi præterea Ecclesiæ præsit quis, qui viva voce eam doceat, regendi regulas ipsi præscribat, pastoribus imperet, jurisdictionem tribuat et munimen : ne ambitionis insolentia, quæ alterum alteri, parem pari cedere haud quaquam sinit, nec potestatum patitur æqualitatem, christianam Rempublicam in multiplicia schismata transversim rapiat, portæque inferi prævaleant adversus eam. Tanto malo unum ab una Petri cathedra remedium, unde unitatis initium, quia omnis potestatis et jurisdictionis ibi servatur exordium. Sola eum in finem divinitus erecta fuit, ut in ea una, uti contra Parmenianum urget S. Optatus Milevitanus, Lib. II, « unitas ab omnibus servaretur, » ne ceteris Apostoli singulas cathedras sibi defen- » derent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui » contra singularem cathedram, alteram collocaret. » Ergo cathedra unica, quæ est prima de dotibus ». Unica quæ ab ipso Christo Domino, dum in terris ageret, fuit exstructa. Prima in donis potestatis

et jurisdictionis in eam unam divinitus et immediate cumulatis (1).

§ 11.

Confirmatur primatus necessitas a ratione et auctoritate protestantium. — Ab affectibus et experientia.

1. Ex ipsorum quoque Primatus hostium cœtu non defuere, qui Primatus in Ecclesia institutionem non solum uti rationi summe consentaneam, sed et necessariam sola recta sua ratione ultro agnoverunt. *Grotium* hic audiamus (2) : « Sicut exercitus, inquit, sicut » navis regi non potest, nisi per gradus præfecto- » rum, qui gradus in unum desinant ; ita nec Ec- » clesia. Etiamsi omnes, qui sunt in Ecclesia, essent » dilectione summa præditi, tamen tali ordine esset » opus. Deus non amat facere semper miracula : sed » ad res optimas, etiam optimas monstrat vias, » qualis est ad unitatem Ecclesiæ certus ordo. Hic » ordo quis esse deberet, monstravit in Petro Chris- » tus : ei enim claves regni cœlorum dedit pro toto » collegio, tamquam collegii principi. » Et alibi (3) : « Ordo sive in partibus sive in toto continetur in » principatu quodam, sive in præpositi unitate : » et hoc est quod in Petro Christus nos docuit..... Hic

(1) Ita D'Aubermont in egregia *Dissert.* annexa *Mantissæ* suæ *celebrium in Belgio et Gallia scriptorum de Primatu, auctoritate, ac infallibilitate Rom. Pontificis etc. Leodii.* 1683. in-4°.

(2) *In animadversion. Riveti*, tom. IV. p. 641. —

(3) *In voto pro pace Ecclesiastica ad art.* 7, tom. IV *oper.* p. 958. *Edit. Basil.* 1732. — Atque alibi creber egregius hic vir-

» ordo semper in Ecclesia manere debet, quia sem-
» per manet causa, id est, periculum a schismate. »

Verum ceteros mitto (1), ut unum *Leibnizium* appellem, philosophum inter heterodoxos præstantissimum, qui vi rectæ suæ rationis agnovit in Ecclesia necessitatem Primatus divini juris, in eoque etiam necessitatem jurisdictionis; hæc enim ait (2): « Sacra-
» mentum ordinis sive hierarchiæ ecclesiasticæ, quo
» officium et potestas ecclesiastica sive spiritualis,
» suis gradibus distincta, certis hominibus confertur,
» quorum ministerio utitur Deus ad sacramentorum
» suorum gratiam dispensandam, hominesque alios
» docendos, regendos et unitate fidei et caritatis re-
» tinendos, addita vi cujusdam jurisdictionis, quæ
» in clavium usu potissimum comprehenditur. Perti-
» nent autem ad pastorum Ecclesiæ hierarchiam, non
» tantum sacerdotium et hujus præparatorii gradus,
» sed et Episcopatus et ipse Primatus maximi Pon-
» tificis, quæ omnia divini juris esse credendum
» est etc ». Ad *Joannem Fabricium* quoque scripsit (3) « In peinensi epistola venerat mihi in mentem

---

(1) Quorum textus affert P. Ignatius Fiume ordinis Prædicatorum, cui lucubranti adversus novatores opus inscriptum, *Schola veritatis orthodoxæ*, præsto fuit non exigua ejusmodi auctorum et librorum etiam rarissimorum suppellex. Vid. etiam Barruel, op. cit. ch. V, et Doller, *Zeugnisse*, IV Kap.

(2) In celebri suo *Theologiæ Systemate*, quod nuper Hannoveræ e tenebris, in quibus diu latuit, prodiit. Vid. *Leibnitzens System der Theologie nach dem Manuskripte von Hannover ins Deutsche uebersetzt von Andreas Räss und Nikolaus Weis mit einer Vorrede von Lorenz Doller.* Mainz 1820, pag. 292.

(3) In cit. *Præfat. Dollerina*, pag. LXXV. —In hac præfatione

» suggerere, ut majoris claritatis causa talia fere ad-
» jicerentur circa jus Rom. Pontificiis : *Cum Deus*
» *sit Deus ordinis, et corpus unius Ecclesiæ catho-*
» *licæ et apostolicæ uno regimine hierarchiaque uni-*
» *versali continendum juris divini sit, consequens est,*
» *ut ejusdem sit juris supremus in eo spiritualis*
» *Magistratus terminis se justis continens* (hæc verba
» nunc addo) *directoria potestate, omniaque neces-*
» *saria ad explendum munus pro salute Ecclesiæ*
» *agendi facultate instructus, tametsi locus et sedes*
» *hujus potestatis in metropoli christiani orbis Roma*
» *ex humanis considerationibus placuerit* ».

2. *Rationis* itaque postulatum est, ut in numerosiore societate, qualis certe nulla Ecclesiæ par, sit suprema quæpiam auctoritas, quæ cum potestate præsit, et membra ad finem communem dirigat. Atque hac ratione Primatus, vel *humano more* de Ecclesia loquendo, in summis est societatis hujus religiosæ indigentiis.

3. Id ipsum effectibus experientiaque constat. Ex defectu enim supremæ in cœtu suo auctoritatis profectæ sunt innumeræ illæ Protestantium querelæ : de scissa in omnes partes eorumdem Ecclesia in qua nullus ordo, harmonia nulla inhabitat : populum excussa omni auctoritate, in vetita quævis pronum esse : meritoque sic dictæ reformationis principibus succenseri, quod præcipitanter, animoque indeli-

---

Leibnitzianas opiniones de *Papa* ex diversis operibus allegans, invicte probat Dollerus, vere catholice cogitasse hunc virum excellentissimum et omni critica excelsiorem.

berato auctoritatem Rom. Pontificis rejecerint : deplorandam esse Ecclesiarum protestanticarum sortem, dum omni consociationis centro privatæ, nec jura sua defendere et tutari possunt, immo occasione controversiarum in manifestum adducuntur discrimen. Namque « Sine tali Primatu Romani Pontificis, uti » *Grotius* aiebat (1), exiri a controversiis non *potest*, » sicut hodie apud Protestantes, nulla est ratio, qua » ortarum inter ipsos controversiarum reperiatur fi- » nis ». Lamenta hæc querelæque nostro quoque ævo inter Protestantes personarunt (2). Sed de hoc atis.

---

(1) *In Discussione Rivetiani Apologetici.* p. 695. tom. IV oper. Edit. cit.

(2) Videsis Planck, *Uber die gegenwärtige Lage und Verhältniss der kathol. u. protest. Partey in Deutschland.* Hannover 1816, ubi cohortatur suos, ut ad exemplum catholicorum supremam quandam auctoritatem in rebus fidei et controversiarum assumere velint, — Alex. Müller, *Uber die Nothwendigkeit der Reorganisation des Corpus Evangelicorum.* Leipzg 1830. pag. 23. — Interea dum hoc unitatis centrum inter Protestantes viri præclari tantopere desiderabant, visi sunt alii Catholicorum nomine gloriantes, qui pro majori ab hoc centro independentia stetere, quum moliti sint novos excitare in Gallia et Germania patriarchatus a Romana Ecclesia aut omnino aut fere independentes. Schismaticum hoc conamen, de quo in Gallia jam cogitatum fuerat occasione litis regaliæ Ludovicum XIV inter et Innocentium XI, restaurare voluit Napoleon cum famosa sua nationali synodo an. 1811 Parisiis habita, cujus sex articulos, ut ratihaberentur, sibi propositos rejecit Pius VII. — A Gallicanis prout multa alia, ita et hoc inobedientiæ systema mutuati sunt germanici Febronianistæ, qui quo illud in Germania exequerentur certius, diu multumque allaborarunt : imprimis Auctor libri, cui titulus : *Kirchenrechtliche Untersuchung über die Grundlage zu den künftigen katolisch-kirchlichen Einrichtungen in Deutschland, von* ei-

Ad id quod positivæ hujus voluntariæque rei cardo est, properemus. Utrum Divinus Ecclesiæ conditor postulato huic humanæ rationis satisfecerit ; qua ratione id egerit, videamus.

---

nem Kathol. Rechtsgelehrten. Frankfurt a. M. 1816. — Cf. Frey, *Kritischer Commentar über das Kirchenrecht, II Th.* § 177, seqq.—Sed neque hodie desunt inter Apostolicæ Sedis osores, qui *nationalis Ecclesiæ Primatem* in Germania desiderant.

CAPUT. III.

AB IPSOMET CHRISTO PROXIME IN PETRO PRIMATUS FACTA INSTITUTIO. — HUJUS PRIMATUS NATURA ET INDOLES, QUAM IPSI CHRISTUS INESSE VOLUIT.

ARGUMENTUM.

§ 12. Præcipua S. Scripturæ loca de instituendo institutoque Pontificio Primatu.

§ 13. *a*) Promissio Christi apud Math. XVI de constituendo Petrum Ecclesiæ fundamentum et tradendo ipsi potestatem ligandi solvendive *quodcumque*. — Patres.

§ 14. *b*) Apud Luc. XXII fides indeficiens oratione Christi Petro obtenta, ipseque Petrus conservandæ unitatis fidei *activum principium* positus. — Patres.

§ 15. *c*) Apud Joan. XXI regendi Ecclesiam potestas summa plenaque Petro *actu* a Christo confertur. — Patres.

§ 16. *In universalem* Christi Ecclesiam collata fuit Petro rectoria potestas. — Respondetur adversariis.

§ 17. Locis citatis regendi potestas ab ipsomet Christo *proxime* Petro Collata fuit. — Non cœtui fidelium; non Apostolis ceteris.

§ 18. *Confirmantur* dicta ex definitione Florentina, unde R. Pontificis Primatus *Dogma fidei* constituitur. — Concil. Later. IV et Lugd. II.—Pius VI.

§ 12.

Illustriora S. Scripturæ loca, quæ Primatum Petri probant et definiunt.

De necessitate instituendi Primatus ob Ecclesiæ bonum, jure quo tandem cumque, sive divino, sive apostolico, sive etiam ecclesiastico, pauca generatim

diximus. Sequitur, ut de institutione ipsa Primatus nunc disseramus, et quo jure, quibus etiam cum proprietatibus ille in Ecclesia obtineat speciatim ostendamus. Quocirca asserimus : Petrum ejusque successorem Romanum Pontificem *proxime* ab ipso Christo, et non ab Ecclesia, in propria, et non in Ecclesiæ aut Apostolorum Episcoporumve persona, positum fuisse *physicum subjectum plenæ*, *supremæ* et *independentis* singulam et omnem Ecclesiam regendi potestatis ; unde Primatus divini juris esse profecto etiam evincitur. Hac propositione credimus obsistere nos omnibus iis quos cap. I Primatus adversarios numeravimus. Supra monuimus hujusmodi assertionem, quum positiva, ut aiunt, Dei voluntate nitatur, probari aliter non posse, quam divinis iisque positivis fontibus, quibus divina voluntas continetur, scilicet S. Scriptura et traditione. Qua vero ratione ex his fontibus id nos præstituri simus, sic paucis habeto : tria illustriora Evangelii loca, quæ Petri Primatum ostendunt, formam rationemque regiminis ecclesiastici continent, adducemus (1), quibus proxime adjungemus illos Patrum

(1) Quæ loca sunt : 1) Math. XVI, 18, seq. *Et ego dico tibi* — 2) Luc. XXII, 32, *Ego autem rogavi pro te.* — 3) Joan. XXI, 15. seqq. *Pasce ores meas.* Præter hos tres textus utrum alii in Scriptura sint, qui de Jurisdictione conferenda aut collata *ab ipsomet Christo* agant, cum multis doctisque viris sine temeritate ambigi licet. Ii citati textus apud omnes laudantur, sive adversarios, sive defensores Primatus, pro suo autem quisque systemate, præjudicataque opinione eos varie intelligit. Attamen cum *fundamentalem*, ut aiunt, Ecclesiæ legem complectantur, qua divinus legislator Christus potestatem in ea modumque illam regendi constituit, quis non, quæso, apprime scit, eos proinde atque ideo

textus, qui hæc S. Scripturæ loca explicant, intelligentiamque eorum constituunt. Cetera vero, quæ ex uberiori traditione, ex factis historicis, praxique Ecclesiæ fallere fallique nescia nobis præsto esse possent, omittere cogimur, ne aut in immensum crescat opus nostrum, aut etiam actum agere videamur, quum multi, iique eruditissimi viri, de quorum numero non paucos citavimus, id egerint perquam fuse atque erudite (1).

§ 13.

a) *Promissio Christi certa, fallique nescia apud Math. XVI de constituendo Petrum ecclesiastici ædificii fundamentum, et tradendo ipsi plenissimam quodcumque ligandi solvendique potestatem. — SS. Cyprianus, Optatus, Hieronymus, Leo M.*

1. Christus Dominus divinum ipse ceterorum fundamentum, totiusque firmitatis fons et largitor, æternum nullisque umquam inferorum insultibus concu-

---

vel maxime claros esse debere nativoque sensu, tortis explicationibus omnibus remotis, accipiendos; secus namque si verbis ambiguis concepti forent, et ambigue pro cujuslibet auctoris ingenio intelligi possent, tum profecto in ipso legislatore divino aut sapientiæ aut providentiæ defectum, quod absit, probarent. — Obiter hic mirare, quî fieri potuerit, ut hodie visum sit multis, in locis S. Scripturarum, in quibus singulari quadam ratione de S. Petro sermo instituitur, nonnisi *habilitatis ad Apostolatum*, quæ in Petro præ ceteris emicuerit, vestigia deprehendi. Ita e recentissimis Rätze, *Das suchen nach Wahrheit;* et Alex. Müller, *Preussen und Bayern im Concordate mit Rom.* Magna profecto hæc vel circa ipsam litteram in ipsis oculorum caligo.

(1) Adisis Barruel, Doller, Rothensée, Bellarminum, Foppoli, Ballerinium, Antifebronium Zaccariæ, Veith, Muzzarelli, *Opp. citt.*

tiendum in terris structurus Ecclesiæ ædificium, tanto dignum ædificio in terris pariter voluit fundamentum. Haud ignorabat sapientissimus artifex, ipse id docuerat, a fundamenti soliditate domus cujuslibet firmitatem pendere (Math. I, 24) : unde æterno ædificio immotum ac æternum quoque dandum esse fundamentum intellexit. Quem igitur a sæculis æternis tantæ moli sustentandæ destinaverat, *Petrum*, quasi petram immobilem, cui tota Ecclesia incumberet, promissione falli nescia institutæ a se societatis fidelium apud Math. XVI, 18, 19 adfirmat fore fundamentum : *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* (*Petra*), *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hoc est, ex celebri hac tua divinitatis meæ confessione, quam *caro et sanguis*, neque ceteri Apostoli revelaverunt tibi, sed *Pater meus, qui in cœlis est*, probas, merito te a me olim esse vocatum Cepham seu Petram (Joan. I, 42). Nunc autem *dico tibi, quia* super eamdem hanc petram tanquam super fundamentum (quoad doctrinam et regimen) ædificabo Ecclesiam meam, adversus quam utpote supra adeo firmum fundamentum fundatam, portæ inferi (in doctrina vel in regimine) prævalebunt nunquam. Quo autem reapse sis, uti volo, conservationis Ecclesiæ meæ ejusmodi fundamentum sive activum principium, *ego dabo tibi* potestatem omnem seu *claves regni cœlorum*, quibus *quodcumque*, (nihilo rei vel caussæ excepto), *ligaveris solverisve super terram*, (h. e. loco excepto nullo), *erit ligatum solutumve in cœlis* (1).

(1) Κἀγὼ δέ σοι λέγω ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ

Horum itaque verborum, seu adjuncta, in quibus Dominus ea ad Petrum direxit, seu ipsa verborum potestas in nativo suo obvioque sensu considerentur,

---

πέτρᾳ οἰκοδομήσω μοῦ τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. — Καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃ ἐὰν δήσης ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσης ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. — « Le gouvernement de la société chrétienne, » l'autorité de son chef, la perpétuité de sa doctrine, l'immortalité » de sa durée, tout est renfermé dans ces paroles de J.-C., paroles » qui réveillent de si hautes idées et dont la force toujours vivante » est telle, qu'après dix-huit siècles, en les entendant prononcer, » on croit assister à la fondation de cet édifice éternel ». Ita pulchre Auctor operis : *Tradition de l'Eglise* etc., *introduction.* — Vindicatam nostram textus hujus biblici intelligentiam vid. apud L. Veith, *De Rom. Pontif. Primatu*, sect. I, posit. II et III. — P. Ballerinium, *De vi ac ratione Primatus*, cap. VI, seqq. et cap. XII. — R. Bellarminum, *De Rom. Pontif.* cap. X, seqq. — Aliosque. — Prima circa hunc textum quæstio foret : de ejusdem *Authentia*. Et reapse, quis crederet, incidit de ea dubitari Doctori Schultessio, *Vom Abendmahle*, pag. 21. ff. Verum insulsum hunc hominem risit vel ipse Bretschneider, *Handbuch der Dogmatik der Lutherischen Kirche*, 3 aufl. Leipzig, 1828, 2 th. p. 841. cujus ceterum alienum a Primatu animum plura loca in scriptis ejusdem obvia, prodidere. — Circa *Exegesim hujus textus* : quam varie, quam absurde, vel recentissimo tempore, sensus textus hujus redditus fuerit, nemo in novissima Exegetarum, cum primis Protestantium, prurienti litteratura versatus ignorare potest. — Doctor Heidelbergensis Paulus, *Philolog.* — *kritischer und historischer Commentar über das N. T. Evang. Math.* et Kuinoel, in suo *Commentario in libros N. T. historicos*, edit. 3. Lips. 1823, tom. I, p. 438 ad h. l. fidenter asserunt, Christum nullo pacto voluisse Petrum reliquis Apostolis præferre. Sensus enim verborum Christi, juxta *Kuinoel*, omnino hic est : « Tu in Ecclesia mea (non Petri sed Christi) fundanda egregiam

statim conficitur, a Christo Petro illique soli, non autem cœtui fidelium neque Apostolis ceteris, fuisse promissam potestatem omnem, quæ ad gubernatio-

---

« operam navabis, per te inchoabo opus novæ religiosæ societatis condendæ, tu eris στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἐκκλησίας, » Gal. II, 9. unus e præcipuis religionis meæ doctoribus et defensoribus. Jesus ergo verbis : Ἐπὶ ταύτῃ - οἰκοδομήσω illud » tempus respexit, quo post suum ex his terris abitum, Petri opera » e Judæis et gentibus quam plurimi ad Christi signa sese collaturi essent ». Exempli causa juvat etiam adducere in medium expositionem Bretschneideri, loc. cit. p. 839, qui in firmitate characteris Petrini in propaganda Ecclesia, totum reposuisse videtur, dum ita existimat : « Jesus gibt hier dem Petrus einen » andern Namen, und spricht dabei aus, was er von der Festigkeit und Characterstärke des Petrus, die ihn einem Felsen » vergleichbar mache, erwarte; nämlich dass er bei Gründung » der Kirche vor andern thätig seyn werde. Es war also lediglich » eine persönliche Beschaffenheit des Petrus, auf welche sich » Jesu Rede bezieht und sie gilt daher auch, wie schon Ter» tullian *De pudic.* c. 21 sehr nachdrücklich erinnert, nur der » Person des Petrus, und seinem Character, der sich auf andere » nicht vererben lässt » — Idem alio in opere, *Heinrich und Antonio, die Proselyten der Röm. kath. u. Protest.-Kirche.* Gotha 1826, p. 101, verba hujus textus ita explicat, ut in firmo Petri charactere, qui ne Pharisæis quidem, ac legis doctoribus cessurus sit, spem de exstruenda et perduratura Ecclesia a Christo fundatam fuisse, adstruat. Vid. Roskovàny, op. cit. § 2. —Vocabulum Petræ non ad Christum aut aliud quo dcumque, sed ad ipsum *Petrum* esse referendum, et constructio biblica, si ipsam vel paulisper exegetice lustrare placuerit, et ea Patrum, quæ propria est, locutio ostendunt. Vid. Corn. Jansenii Iprensis Comment. ad h. loc. Et profecto quænam tandem, quæso, esset (si *petræ* nomine non Petrum ipsum intelligas) connexio inter sententias : *tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*? Quænam foret isthæc præmiatio Petri, quam tamen eidem

nem Ecclesiæ necessaria utilisve foret, sive potestatem summam, plenam, omni jure humano illimitatam, atque in terris independentem. Et hoc adversus demo-

---

præstitam fuisse oportuit? Hinc est, quod celebris e Protestantium cœtu Doctor Stäudlin, *Jesus göttliche Prophet*, Göttingen 1824, interpretationem textus nostri de singulari auctoritatis ac potestatis prærogativa Petro concessa admittere haud detrectaverit. Hinc quoque est, quod Kuinoel, loc. cit. tom. I, p. 438, tametsi a Primatu veri nominis admittendo multum alienus, complures interpretes nomine *petræ* Christum aut confessionem Petri male intellexisse censeat, atque dicat, nullum vocabulo πέτρος, sive potius כֵּיפָא (πέτρος, *rupes*) quo Jesus Syro-Chaldaice loquens, et Mathæus eadem dialecto scribens, usi sunt, et vocabulo πέτρα, quod Mathæi Græcus interpres secundo loco posuit, inesse discrimen, Græcosque promiscue dicere πέτρος et πέτρα ad significandum *saxum*, *rupem*, sic Herod. 9, 55, Callim. in Apoll. 22, Soph. Oed. Tyr. 342. Et in genere observare est, ex illis, qui Augustanam et Helveticam confessionem adoptavere, longe plurimos defendisse, vocabulo *petræ* Petrum intelligi debere, cum secus vim verbis Evangelistæ inferri necesse sit. Ita Beza, Grotius, Hamondus, Clericus, Camero, Basnagius. — Quod ad SS. *Ecclesiæ Patres* attinet, qui diversas textus nostri interpretationes protulerunt, notandum, adeo malevola fide Launoyum, *Opper.* tom. V. part. II, ep. 2, numerum Patrum inivisse in hujus vocis *petræ* varia expositione, ut exinde adversarii Primatus concludere non dubitaverint, Petri Primatum Patribus omnino fuisse incognitum. Patres, ubi proprie loqui volunt, concordibus suffragiis docent.: Ecclesiam super Petrum a Christo ædificatam fuisse. Eorum diversas expositiones de voce *petræ* secum invicem non pugnare, quippe quæ diverso sub respectu intelliguntur, ostendunt multi. Legessi Veith, *De Primat. et infallib. R. Pontif.* sect. I, § IV, seqq. Zaccariam, *Antifebron. vindic. part. I, diss. II, C. III.* — Devoti, *prolegomenon cap. III, p.* 28, *et* 30, *not.* 3. Cf. quoque Roskovány § 3. — Ita v. g. *Hilarius, Cyrillus Alex., Chrysostomus* verba: *super hanc petram* ad fidem et confessionem Petri referentes, non

craticos et christocraticos diligenter notandum. Hinc Tertullianus in *Scorpiaco* : « Si adhuc clausum putas » cœlum, memento claves hic Dominum Petro, et » per eum Ecclesiæ reliquisse ». Omnem scilicet ape-

---

quidem eam solam et seorsim spectatam intelligunt, sed prout edita est ab ipso Petro, suumque meritum in illum refudit : sive, (ut clarius dicam) cum supra confessionem Petri fundatam scribunt Ecclesiam, causam *meritoriam* indicant, ob quam S. Petrus eam sit consecutus dignitatem, ut fundamentum esset Ecclesiæ. Cum vero supra Petrum fundatam dicunt, *subjectum* notant illius dignitatis. Inter utramque expositionem id interest discriminis, quod hæc immediata est, illa mediata, ista primitiva et perpetua ab initio Ecclesiæ quatuor sæculorum serie, sola tradita ; altera adventitia et temporanea, data occasione prolata, nimirum occasione Arianorum, adversus quos divinitatem Christi palam impugnantes firmissimum S. Patres catholicæ caussæ præsidium in illis Petri verbis : *Tu es Christus filius Dei vivi*, positum animadverterunt, Petrique confessionis dignitatem summis laudibus extulerunt. Unde quia S. Petrus ob illius meritum constitutus fuerat fundamentum Ecclesiæ, ipsammet confessionem fundamentum Ecclesiæ nuncuparunt, metonymice, idest, translato nomine effectus ad caussam ; ut Arianos illius impugnatores liberius ac verius veluti fundamenti Ecclesiæ destructores insectari possent. Ita Gerdil, *Confut. di due libelli etc.*—Gotti, *La vera chiesa di Cristo*, tom. I, art. 1, § 3. — Bolgeni, var. in opusc.— *Foppoli*, *I fondamenti* pag. 34. —Per Metaphoram : *Claves—ligare—solvere*, hoc loco quemadmodum alibi in Scriptura (Isaïæ XXII, 22, etc.) rectoriam potestatem significari, ex subjecta materia, ut aiunt, et ex Patrum traditione clarum est ; atque in genere potestatem quampiam altiorem iisdem verbis innui apud Hæbræos consuevisse, multa congerie locorum ex Judaicis libris ostendit Lightfoot in *Horis suis Talmudicis* ad Matth. XVI, cui consentit Kuinoel, loc. cit. contra eos qui de potestate remittendi retinendive peccata et prædicandi tantum agi putant. Cf. *Commentar.* Jansenii in h. l. et Maldonati — A Lapide — Bellarmin. *De Rom. Pontif.* lib. I, C. X, seqq.

riendi, claudendi, ligandi, solvendi, leges universales condendi, dispensandi, divini verbi sensum exponendi, controversias dirimendi, fidei dogmata definiendi, hæreses dijudicandi, condemnandi, denique super fidelibus universis jus dicendi potestatem, memento, hic Dominum Petro dedisse, et per eum Ecclesiæ in ejus bonum exercendam, Ecclesiæque prælatis ceteris reliquisse, atque ita Petrum non delegatum fidelium ceterorumve Apostolorum, sed supremum post Christum principem rectoremque Ecclesiæ, sive *propter Apostolatus sui Primatum, Ecclesiæ hic gessisse figurata quadam generalitate figuram* (1).

2. *Testimonia Patrum* : pro intelligentia hujus publici Ecclesiæ juris textus, illa dumtaxat seligimus, quæ potissimum, saltem a nostris, in controversiam trahuntur, qualia sunt loca SS. Cypriani, Optati, Hieronymi et Leonis M.

a) S. *Cyprianus*, Carthaginensis Episcopus, præ ceteris insignia pro Primatu Petri testimonia reliquit. Omnibus palmam præripit illud quod in celebri *De Ecclesiæ unitate libello* (2) continetur, ubi ita adversus schisma

(1) S. Aug. *Tractat.* 124 *in Joan.*

(2) Præclarum hunc librum S. Cyprianus conscripsit a. 251 ad comprimendum schisma a Novatiano hæretico et primo Anti-Papa adversus Cornelium legitime electum excitatum ; quod præter alios fatentur duo protestantes Anglicani viri magnæ inter eruditos famæ, Joannes Pearsonius in *Annalibus suis Cyprianicis ad an. Chr.* 251, n. 13, et ad. an. 252, n. 3, et Joannes Fellus in *Notis ad opera Cypriani*, edit. Amsselod. 1700. Hæc cum verissima sint, profecto sequitur, Cyprianum, quandocumque Ecclesiæ

loquitur : « Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad » veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, » nec magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis

---

unitatem nominat, quod sæpissime facit, eandemque commendat, et a Christo commendatam, institutam, præceptamque docet, de ea unitate loqui quam ab uno universali pastore Rom. Pontifice, ac Petri successore habet. Secus universa sanctissimi Episcopi ratiocinatio eo in libro nihil contra Novatianum evinceret, et tota quanta extra rem esset. Unde res certe mira, quod adversarii, ut successorum Petri Primatum convellant, eum nobis Cypriani locum opponere audeant, unde ipse Primatum illum in omnes, ipsosque adeo Apostolos, duxit, prouti evidens est legenti totum S. Cypriani contextum loc. a nobis cit. Oper. Tom. II, edit. J. Pamelii, Antv. 1589, atque loca ejusdem Patris parallela, imprimis *Epist.* 70, 73. — Notet Lector, omissis iis, quæ parenthesi includuntur, lectionem esse editionis Bremensis a protestantibus a. 1690 confectæ, his autem admissis, lectionem esse catholicorum juxta editionem Pauli Manutii a. 1563, Jacobi Pamelii et Steph. Baluzii. Paris, 1726, qui ita in antiquissimis MSS. codicibus inde a sæculo VI, lectum fuisse probant. Adi etiam Cl. Mamachium, *De Antiquit. Christ.* tom. V, pag. 71. et Onuphrium Panvinum, *Tractatus de Primatu Petri*, pag. 55.—Sententiæ de Primatu et cathedra Petri tam sunt contextui et aliis Cyprianicorum scriptorum locis consonæ, ut, etiamsi eas interpolatas dicerem, nihil tamen novi interpolatorem Cypriano affinxisse sequeretur. Hospites itaque fuerint profecto et peregrini in Cypriani operibus, quorum tamen editionem curarunt, Rigaltius nempe et Fellus, qui h. loc. Primatum adseri, et unam Ecclesiam, unam cathedram adfirmari mirantur, hasque sententias ut paralogismum rejiciunt, cum tamen Cyprianus pluribus aliis locis nominatim *Epist.* 40, 55 eundem Primatum defendat, unum gregem, unum Episcopatum commendet. Verba de Primatu Petri, tam suo loco apud Cyprianum posita sunt, ut si ea etiam non scripsisset, tamen ipsum illa non cogitare non potuisse censendum sit. Quis enim ei Primatum abjudicet, a quo incipit unitas, et per quem Ecclesia una monstratur? Principium unitatis sine primatu esse nequit.—

» consideret et examinet, tractatu longo, atque ar-
» gumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis
» compendio unitatis. Loquitur Dominus ad Petrum :
» *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus et super*
» *istam petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ*
» *inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni*
» *cœlorum, et quæ ligaveris super terram, erunt li-*
» *gata et in cœlis, et quæcumque solveris super terram,*
» *erunt soluta et in cœlis.* Et iterum eidem post re-
» surrectionem suam dicit : *pasce oves meas.* Super
» (illum) *unum* ædificat Ecclesiam suam, (et illi
» pascendas mandat oves suas). Et quamvis Apostolis
» omnibus post resurrectionem suam parem potesta-
» tem tribuat et dicat ; *sicut misit me pater et ego*
» *mitto vos* ; *accipite Spiritum S. Si cui remiseritis*
» *peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur.*
» Tamen ut unitatem manifestaret, (unam cathedram
» constituit, et) unitatis ejusdem originem ab uno
» incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant
» utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari
» consortio prædíti et honoris et potestatis (1). Sed

Quare ipse Christ. Schmidt, *Handbuch der christl. Kirchengeschihte* I B. 2 Aufl. Giesen 1824, p. 548, ingenue fatetur, nullum solidum suppetere momentum ad hoc, ut locum Cyprianicum a Primatus Pontificii propugnatoribus corruptum fuisse sumi debeat. —Si tamen illa verba disciplent, per me licet, omittantur : sufficiunt cetera nimirum « Ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem ori-
» ginem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit — Exordium
» ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur, etc. »

(1) Maximum sententiæ suæ pondus adversarii collocant in illis Cypriani verbis, ac si Primatui repugnarent. Sed ad id breve hoc sit responsum : *a*) Juxta sententiam apud recentiores Pon-

» exordium ab unitate proficiscitur, (et Primatus » Petro datur) ut una Christi Ecclesia (et cathedra » una) monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex » unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus una- » nimi consensione pascatur.... Hanc Ecclesiæ uni- » tatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui » Ecclesiæ renititur et resistit, qui cathedram Petri, » super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia » se esse confidit?..... Quam unitatem firmiter tenere » et vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in » Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ip-

---

tificii Primatus adsertores communissimam, omnes Apostoli fuerunt pares quoad *intrinsecam et essentialem* Apostolatus potestatem, quæ in eo posita erat, ut servata unitate et subordinatione ad Petrum, omnibus ac singulis licitum fuerit, ubivis gentium non solum Evangelium prædicare, Sacramenta, Spiritum S. impertiri, miracula edere, libros sacros scribere, sed etiam leges condere, jus dicere, Episcopos creare etc. Non autem pares fuerunt ipsi *in extrinseca et accidentaria* potestate quæ in ordine et dispositione regiminis consistit, qua Apostolos ceteros inferiores fuisse S. Petro, Pratres omnes cum *S. Cypriano* constantissime docent, prout pluribus ostendit Natalis Alex. tom. III, *Histor. Eccl. Sæc. IV*, § XII. — Veith, *Dissert. de primatu Rom. pontif.* § XI, seqq. et *Richerii systema confut.* Sect. 2, § 45, n. 22. — *b*) Juxta aliorum sententiam, ita intelligendus Cyprianus, ut ejus verba in continua antithesi inter Petrum seu Rom. Pontificem et ceteros Apostolos seu Episcopos versentur, adeo ut ceteris quidem Apostolis *parem* cum Petro *potestatem ordinis et parem quoque potestatem prædicandi sive Apostolatus* tribuat, Petro autem soli omnem jurisdictionem in unitatis bonum *proxime a Christo* datam dicat diligenterque probet. Et revera quos Petro Cyprianus ex Math. XVI et Joan. XXI applicat textus, soli de jurisdictionis potestate agunt, minime vero illi, quos ex Joan. XX, ad ceteros Apostolos et Petrum simul refert.

» sum, unum atque indivisum probemus. Nemo fra-
» ternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem
» perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus
» est, cujus a singulis in solidum pars tenetur (1).

---

(1) *De uno Episcopatu in solidum* cf. Bellarmin., *De R. Pontif.* Lib. II, c. XVI.—P. Ballerinium, *De vi ac ratione primatus* c. XIII, pag. 109.—Zaccariam, *Antifebr. vindic.* Diss. III, c. III.—Bianchi, *Della potestà e della politia della chiesa*, tom. III, § XIII, n. VIII, Rom. 1745. — Zallinger, *Jus. eccl. publicum* § 353, n. 4, *et not. a*) — Devoti, Op. M. tom. I, c. VI, § IV, *in nota.*—Muzzarelli, opusc. *De la Discipline eccl.*—Veith, *Richerii systema confut.* loc. cit.—Bolgenium, *l'Episcopato* tom. I, c. II, n. 20, edit. Rom. 1824, et vol. I, c. II, art. V, n. 57, seq. edit. Orviet. 1837. Ante omnia hic adnotet lector, vocabulum *Episcopatus* vi sua significare (verba Bellarm. sunt, op. cit. l. I, c. 23,) « non id quod nunc proprie vocamus Episcopatum, sed præfec-
» turam quamcumque *ἐπισκοπεῖν* פָּקַד *superintendere* (sive offi-

cium quodcumque profanum vel sacrum et hoc quidem ordinis vel jurisdictionis. Hoc ideo observandum, ut variæ de hoc loco auctorum sententiæ rite recteque æstimentur.— I. *sententia de Episcopatu uno in solidum est* M. A. De Dominis, Jansenianorum Febronianorum omniumque Aristocraticorum, nimirum : de jurisdictione sive Episcopatu pleno, æquali et communi jure inter Episcopos singulos, et R. Pontificem habito. Hanc sententiam diffusa dissertatione stabilire conatus est Dodwellus, *Dissert. Cyprianica* VII, § XXVI, ad calcem edit. Amstelod. 1700. Hi itaque omnes ad instar interpretis codicis Justinianei sensu forensi, ac si de haereditate, quam plures pro indiviso habent, administranda ageretur, vocabula *Episcopatus unus in solidum* intellegunt.— II^a sent. est P. Faure, *Diss. polemica adv. Richeristas*, quem sequitur Bianchi : «A singulis puta Episcopis partem Ecclesiæ,
» sive propriam Diœcesim teneri *jure ac jurisdictione*, Diœceses
» ceteras *caritate*, quæ omnibus, quibus potest, et quibuslibet
» modis potest, sive precibus, sive epistolis, sive libellis, sive
» conciliorum celebratione opitulatur », juxta id quod Cyprianus

» Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem
» latius incremento fæcunditatis extenditur : quo modo
» solis multi radii, sed lumen unum : et rami ar-

» scribit *Epist.* 68 *ad Stephanum* Papam. — III[a] Cyprianici textus explanatio est : *Episcopatum unum in solidum i. e. indivisum* esse quoad communem paremque in omnibus Episcopis characterem seu ordinis potestatem, sed divisum in partes quoad jurisdictionem. — IV[a] Interpratatio, quam suppeditat Charlasius, *Tract. de Ecclesiæ potest. adv. Mainburgum*, c. I, pag. 10, scilicet : eo Cyprianum spectasse, ut ostenderet, non potuisse Novatianum, quum Cornelius Romanæ Ecclesiæ Episcopus rite et ad canones electus esset, simul ejusdem Ecclesiæ Episcopum esse, quoniam *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum, h. e. solitarie, et sine alterius æqualis consortio* pars tenetur. — V[a] tandem sententia, quam amplectimur, in his fere sistit : scil. 1° in toto hoc de unitate Ecclesiæ libro Cypriani scopum esse : unitatem Episcopatus, quemadmodum unitatem Ecclesiæ, ex unitate *originis* (quoniam ipsa *super unum*, scil. Petrum fuit ædificata) et *scopi*, (quoniam indivisim debet administrari in eumdem finem sive in gregis Christi petræque bonum) velle monstrare atque ita Carthaginenses suos a schismate avertere. 2° Inde per *unum Episcopatum, cujus a singulis in solidum pars tenetur* hoc intelligi : unam esse, ob rectoriam potestatem *unam*, quæ in capite residet, et a quo in ceteros derivatur, administrationem Ecclesiæ per particulares administratores : seu esse Episcopatum sive administrationem *in solidum*. h. e. indivisam, non schismate sejunctam ab eo, a quo particulares illi administratores suam potestatem habent, atque ita ex particularium Ecclesiarum conglutinatione unum solidum corpus dividi nescium i. e. unam Ecclesiam catholicam effici debere. Paucis : *Episcopatus unus in solidum* est officium pastorale, sive Ecclesiæ administratio per plures una, et indivisa a capite, a quo omnis in ceteris regendi potestas. Idem aliis verbis prius dixerat Cyprianus nimirum, *pastores quidem multos esse, sed debere eos magna consensione pascere et debere Episcopos Episcopatum unum atque indivisum probare — Ecclesiam esse super unum ædificatam etc.* Ulterius contextum sic urget Bellarminus : « Episcopatus unus est, quo-
» modo Ecclesia una est ; Ecclesia autem est una eo modo quo multi

» boris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum : et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt; » numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ » largitate unitas tamen servatur in origine. Avelle » radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non » capit : ab arbore frange ramum, fractus germinare » non poterit : a fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem » totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, » quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur : ramos suos in universam terram copia » ubertatis exstendit, profluentes largiter rivos latius » expandit : unum tamen caput est, et origo una, » et una mater, fœcunditatis successibus copiosa. » Aurea hæc tabulisque cedrinis sculpenda verba integre referre placuit, quo manifestius ex contextu et scopo libri pateret, quam immerito eo glorientur protestantes et Febroniani, Janseniani aliique qui Christocraticorum nomine gloriantur, ad tollendum deprimendumve Petri Primatum (1).

» arboris rami sunt una arbor, quo multi rivi una aqua, et multi » radii una lux, ut ibidem Cyprianus dicit; sicut ergo in ramis, » rivis, et radiis unitas est ratione unius capitis, id est, radicis, » fontis, solis, licet radii ipsi, rivi, et radii multiplicentur : ita » etiam Ecclesia est una, et Episcopatus unus in radice et capite » (Petro ejusque successoribus) quamvis multæ sint particulares » Ecclesiæ, multique particulares Episcopatus. Unius igitur » magni Episcopatus ab Episcopis singulis in solidum pars tenetur, » sed non æqualiter, neque eodem modo. Nam Petrus et ejus successores tenent eam partem, quæ est velut caput, et radix et » fons, ceteri tenent partes, quæ sunt velut rami et rivi ».

(1) Contra alii ab unitate nimis abhorrentes multis memoratum

b) *S. Optatus Milevitanus* illam Cypriani sententiam ita in breve coegit (1). « Bono unitatis B. Petrus.... » et præferri Apostolis omnibus meruit, et claves » regni cœlorum communicandas ceteris, solus accepit ». Superius adv. *Parmenianum* Donatistam jam dixerat (2) : « Videndum est, qui et ubi prior » cathedra sederit : si ignoras disce : si nosti erubesce... Igitur negare non potes, scire te, in urbe » Roma Petro primo cathedram episcopalem esse » collatam : in qua sederit omnium Apostolorum » caput Petrus : unde et Cephas appellatus est : In qua » una cathedra, unitas ab omnibus servaretur (3), » ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defende-

---

Cypriani libellum scommatis onerarunt. Nominatim Henke : *Opusc. Academ.* p. 49 « Totum hunc librum mysticis ineptiis atque oracu- » lis sibyllinis obscuriorem » indicavit. Imo *authentiam* loci nostri Cyprianici, qui præcellens prorsus pro Primatu continet testimonium, multi ex adversariis oppugnant, sed ea argumentis criticis cum internis, tum externis stat inconcussa : hinc Fellus ad *Titulum* h. lib. « Liber hic, ait ad solvendum Novatiani schisma » conscriptus, non tantum Cypriano asseritur ex Pontii et D. Au- » gustini, *Lib. contra Cresc.*, aliorumque e veteribus ejusdem » mentione : sed ipsius Cypriani *Epist.* 55 testimonio ».

(1) Lib. VII, *De schismate Donatistarum adv. Parmenianum*, cap. III.

(2) *Lib. II, c. II, op. cit.*

(3) In *Nota ad h. loc.* addit Albaspinæus Aurelianensis Episcopus : « Hoc est ut omnes adhærerent S. Pontifici ; servare enim » unitatem in prima illa cathedra est ab illa cathedra originem » ducere et sacerdotium accipere. Nota loquendi formulam, ser- » vare unitatem in cathedra S. Pontificis, quibus satis liquet » Optatum credidisse et docuisse, primam cathedram, potesta- » tem, missionem, quæ verba apud ipsum sunt synonyma, Ro- » manam esse, eamque S. Pontificem occupare ; ab ea ceteras vim

» rent. (1) : ut jam schismaticus et peccator esset, » qui contra singularem cathedram alteram collocaret. » Ergo cathedra unica, quæ prima est de dotibus, sedit » prior Petrus. »

c) S. quoque *Leo. M.* præclarissima hæc verba de Primatu Petri scripsit (2) : « *Petrus* ab ipso omnium » charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus » inundatus, ut cum multa *solus* acceperit, nihil in » quemquam sine ipsius participatione transierit » .... Inferius : « De toto mundo unus *Petrus* eligitur, » qui et universarum gentium vocationi, et omnibus » Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur : ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes » sint (multique pastores) ; omnes tamen proprie » regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. » Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio : et si » quid cum eo commune ceteris voluit esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid » aliis non negavit..... Propter quod dicitur beatissimo Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et* » *quœcumque ligaveris super terram, erunt ligata et*

» suam et potestatem accipere debere, in ea et cum ea omnibus » adhærendum esse, et qui cum ea non communicarent, schismaticos esse. »

(1) « Ergo, ait ibid. Albaspinæus, ceterorum Apostolorum » cathedræ non erant primæ neque singulæ, sed erant cathedræ » a cathedra illa una quam Romæ Christus constituerat, propagatæ et progenitæ ».

(2) *Serm.* 4. (al. 3.) *in anniversario die ejusdem assumptionis*, opp. tom. I, c. II, et III, coll. 16, 17, 18, edit. Baller. Venet. 1753.

» *cœlis; et quæcumque solveris super terram erunt so-*
» *luta et in cœlis.* Transivit quidem etiam in alios Apos-
» tolos jus (al. vis) potestatis istius, et ad omnes
» Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio com-
» meavit; sed non frustra uni commendatur quod
» omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singula-
» riter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Pe-
» tri forma præponitur (1) ».

d) D. *Hieronymus* adversus Jovinianum de virginitatis præstantia agens, Joannis virginitatem fuisse caussam dicit, cur ceteris Apostolis plus amatus sit; objecta solvens pergit : « At dicis *super Petrum funda-*
» *tur Ecclesia* : licet id ipsum in alio loco super omnes
» Apostolos fiat, et cuncti claves regni cœlorum ac-

---

(1) Ad hæc aliaque Patrum loca ita fatur Schenckl, *Institut. juris. eccles.* p. 1, § 37 in *nota*, et cum ipso ceteri etiam omnes, qui aliquam Aristocratiam divini juris admittunt : « Paucorum qui ne
» ipsos quidem Apostolos S. jurisdictionem a Christo, sed a
» Petro accepisse docebant, *Paradoxa ac Scrip turis aperte con-*
» *tradicens opinatio* (!) jam despecta jacet, nec iis etiam, qui
» Pontificibus maxime favent, probatur. Idcirco Patres quidam,
» (*Innocent. I*, ad Concil. Milevit. et Carthag. — *Leo M.*,
» Serm. 3 (al. 2) Anivers. assumpt. ejusdem, cap. 2.— *Optatus*
» *Milevit.* adv. Parm. l. 7) qui *Petrum* Episcopalis nominis
» *auctorem initiumque* vocant, ac ceteros Apostolos *per Petrum*
» claves accepisse dicunt, nisi eos Scripturis ac unanimi Patrum
» reliquorum traditioni contraria docuisse credere velis, hoc
» similive sensu intelligendi sunt : quod Petrus *primus* fuerit
» *normaque* ac exemplar, ad cujus similitudinem ceteri sint
» S. potestate exornati; quod claves *primus* acceperit, deinceps
» utique ab ipso Christo communicandas ceteris, vel quod *spe-*
» *ciale* quidpiam præ reliquis, Primatus nempe prærogativam,
» sit consecutus etc. » Bella hæc certe, cui aqua hæret.

» cipiant, et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo » solidetur, *tamen propterea inter duodecim unus* » *eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur* » *occasio.* Sed cur non Joannes electus est virgo? » Ætati delatum est, quia Petrus senior erat, etc. (1). »

---

(1) Lib. I, n. 26, oper. tom. II, edit. Vallarsii. Veronæ 1735. — M. A. de Dominis et Febronius eorumque consectanei ex hoc loco inferunt, pares cum Petro fuisse Apostolos ceteros *in regiminis potestate;* quod recentiores Primatus assertores de rectoria potestate corporis Apostolorum Episcoporumve, vel etiam de potestate singulorum Apostolorum, extraordinaria scilicet et Petro subjecta admittunt. Verum ab aliis rectius censeri videtur, hic agi tantum *de æqualitate Apostolorum ratione Apostolatus sive missionis prædicandi, et ratione ordinis.* Juxta horum sententiam D. Hieronymus neutiquam intendit negare id, quod Jovinianus adversus virginitatis meritum objecerat (scil. super *Petrum et non super Joannem fundatam esse Ecclesiam*, quoad potestatem nempe regiminis Math. XVI, 18, 19), imo potius id confirmat, dicens: « Prop- » terea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schis- » matis tollatur occasio. » Sed Joviniani tamen objecta lenire volens ostendit, etiam super *Joannem virginem* et ceteros Apostolos aliquo sensu fundatam esse Ecclesiam. Atque inde sermonem hic miscet *de fundamento alterius significationis :* nimirum 1° ratione *Apostolatus sive doctrinæ*, Math. XXVIII, 18; atque hoc sensu Ecclesia sive fideles vere *superædificati sunt super fundamentum Apostolorum*, imo (N. B.) et *Prophetarum*, Ephes. II, 20, 21. — 2° Ratione *potestatis ordinis, cuncti enim claves regni cœlorum acceperunt* (Joan. XX, 23), et omnibus dictum : *hoc facite in meam commemorationem.* In duobus his recte dixit Sanctus Pater, Apostolos omnes fuisse pares, atque super eos tamquam super fundamentum in sensu explicato intellectum, *ex æquo* Ecclesiæ fortitudinem solidari. Similes loquendi modi obvii sunt in ceteris Patribus, imprimis in S. Leone M., *Epist.* 12, n. 14, « Inter bea- » tissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam *discretio* » *potestatis*, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum » est, ut ceteris præemineret, » — et in S. Cypriano, *De unitate*

Germanam hanc quoque esse Gallorum Antistitum doctrinam, scil. Petrum Petrique successores seu Apostolicam sedem in laudato Matthæi textu constitutam fidei petram et quidem immobilem et inconcussam, nec non Ecclesiæ fundamentum indeficiens, a cujus immota soliditate pendeat firmitas Ecclesiæ universæ, ostenderunt plures (1).

§ 14.

b) Apud Luc. XXII, 32 Petro fides numquam defectura concessa. — Inde inter ceteros conservandæ unitatis fidei activum principium in Petro a Christo positum. — Patres.

1. Alter insignis Evangelii locus, qui huc spectat, apud Luc. XXII, 32 legitur ubi in communi omnibus Apostolis periculo (*Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos*), ne sicut triticum cribrarentur omnes a Satana, ille cujus velle est posse, Deus-Christus oratione sua Petro fidem numquam defecturam obtinuit

---

Ecclesiæ : « Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, » pari consortio prædíti et honoris et potestatis, sed *exordium ab* » *unitate proficiscitur, et Primatus Petro datur*, ut una Christi » Ecclesia, et cathedra una monstretur. » Sed in his et similibus cum Mauclero, *De Monarchia eccles.* part. II, lib. II, c. 9, dicimus « Patere clarissime, qua parte pares sint Apostoli : nempe » ratione Apostolatus et ordinis : quaque inferiores, ratione vi- » delicet Episcopatus et monarchici pastoralisque principatus, » exstiterint. »

(1) V. Soardi, t. I, c. 1.

(*ego autem rogavi pro te*, non pro ceteris Apostolis, *ut non deficiat fides tua*, non vestra), Petroque deinde imposuit munus, et quæ ex eo sponte sua sequitur, auctoritatem concessit, *vicissim* ceteros Christi fideles omnes confirmandi *aliquando*, post descensum puta Spiritus Sancti, quo tempore ejus officium Primatis incœpit (*et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, non ipsi te (1).

---

(1) Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σοῦ· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. — Duo membra hujus versus a se distincta apprime notanda : namque ab una parte, fides indeficiens discrimine nullo, Petro obtenta, ab altera, munus confirmandi fratres ipsi impositum. — Nemo nescit, fidem deficere tantum per hæresim formalem, ut aiunt (non autem per materialem); errare itaque privatim poterit Petrus ejusque successor R. Pontifex, *hæreticus* autem fieri, nequaquam. — Datam in hunc textum expositionem, (dum per vocabulum *conversus* hebraismum intelleximus sive id adverbii loco positum), esse præ altera, quæ hic *conversus* de resipiscentia sive conversione a lapsu interpretatur, veriorem atque litteræ S. Scripturæ magis inhærentem fatentur præter alios Maldonatus, Calmet, A Lapide et protestantes plures ad h. l. idque probatur 1° quoniam ἐπιστρέφειν, ut Hebr. שׁוּב, aliis verbis junctum, partes adverbii sæpissime in S. Scriptura agit, ut Ps. LXXI, 20, ubi versione septuaginta virali ἐπιστρέψας commutatur cum adverbio πάλιν, — Ps. LXXXIV, 7, *Deus tu conversus vivificabis nos*, h. e. tu nos iterum vivificabis (Beda, Genebrard.) — 2° Quoniam ex contextu Lucæ hic necessario pro adverbio sumendum, namque *a*) de Petri abnegatione in sequentibus demum sermo est, eamque Christus v. 34, prædixit, postquam Petrus v. 33, affirmaverat se cum Magistro carcerem, et ipsam necem adire paratum esse, — *b*) verba *Aliquando* (ποτε) *conversus* prorsus ineptum sensum haberent, cum Petrus eodem die, quo Christus hæc dixit, et lapsus et conversus fuerit. Cf. Luc. XXII,

2. Quod quo fine fecerit Dominus, sic exponit *a*) *S. Leo M.* dicens (1) « Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur; tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. » — Sermone præcedente (2) dixerat « Tanta (Petri fides) divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæretica umquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia ». — *b*) Quid Petro oratione sua obtinuerit Christus, dicit D. *Augustinus* (3), « Cum Christi inanis esse non posset oratio, quid aliud oravit, nisi ut haberet Petrus in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam *voluntatem?*» — *c*) *S. Epiphanius* (4) « Juxta omnem modum in Petro firmata est fides, qui accepit claves cœlorum; in hac enim

---

34, 57, 62; Math. XXVI, 34; — Marc. XIV, 30. — Verum etiamsi vera esset interpretatio, quæ de resipiscentia a lapsu vocabulum *conversus* intelligit, nihil tamen inde contra Petri fidem falli nesciam sequi, bene vero peccare eum posse probari, ostenderunt invicte omnes Pontificiæ infallibilitatis adsertores.

(1) *Serm. IV* (*al. III*) *in anivers. die ej. assumpt.* c. III, ed. cit.

(2) *Serm. III* (*al. II.*) Ibid. c. III.

(3) *Lib. de corrept. et gratia*, c. VIII.

(4) *In Anchor.*

» omnes quæstiones et subtilitates fidei inveniuntur» .— *d*) *S. Hieronymus :* (1) « Sancta Romana Ecclesia , » quæ semper immaculata mansit, et Domino providente , et B. Petro opem ferente , in futuro manebit, sine ulla hæreticorum insultatione , firma » et immobilis omni tempore in fide persistet. » — *e*) *D. Gregorius M.* (2) : » Romana Ecclesia numquam erravit, nec in perpetuum Scriptura testante » errabit » . —*f*) *S. Leo IX* (3), « Petrus solus ille » est , pro quo , ne deficeret fides ejus , Dominus et » Salvator asserit se rogasse , dicens , Simon rogavi » pro te , ut non deficiat fides tua. Quæ venerabilis » et efficax oratio obtinuit , quod hactenus fides Petri » non defecerit , nec defutura creditur in throno ejus, » in sæculum sæculi , sed confirmabit corda fratrum » , et alibi (4), « Fuit ergo quisquam tantæ » dementiæ , qui Orationem illius cujus velle est posse, » audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a Sede » Principis Apostolorum , tam per eumdem Petrum , » quam per successores suos reprobata et convicta » atque expugnata sunt omnium hæreticorum com- » menta ; et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus » nec deficit, nec usque in finem deficiet , sunt confir- » mata » .—*g*) *Innocentius III* (5) : « Pro Petro Domi- » nus se orasse fatetur; ex hoc innuens manifeste ,

---

(1) *Epist. ad Damasum de expositione Symboli.*
(2) *Epist.* 7 , *lib. II Registri.*
(3) *Epist.* 5 , *ad Petrum Patriarcham Antiochenum.*
(4) *Epist.* 1 , *ad Michaelem Patriarcham Cpum.*
(5) *Epist.* 209 *ad Patriarcham* Cp.

» quod successores ipsius a fide catholica nullo um-
» quam tempore deviarent, sed revocarent magis alios,
» et confirmarent etiam hæsitantes; per hoc sic con-
» firmandi alios potestatem indulgens, ut aliis ne-
» cessitatem imponeret obsequendi ». Et alibi (1),
» Rogavit Christus pro fide Petri, et impetravit,
» quoniam exauditus est pro sua reverentia. Et id-
» eo fides Apostolicæ Sedis in nulla umquam tur-
» batione defecit, sed integra semper et illibata
» permansit, ut privilegium Petri persisteret inconcus-
» sum » (2). — *h*) Magnus quoque Galliarum Epis-
copus ab ipsis Apostolorum discipulis institutus, *S. Ire-
næus* dicit (3), « Maximæ et antiquissimæ et omnibus
» cognitæ a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et
» Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ eam,
» quam habet ab Apostolis traditionem et annuntia-
» tam ab hominibus fidem, per successores Episco-
» porum pervenientem usque ad nos, indicantes,
» confundimus eos, qui quoquo modo, vel per sibi

---

(1) *Sermone II de consecration. Pontificis.*

(2) Qui hic circa infallibilitatem et auctoritatem suam Pontifices hos aliosve, viros sanctos, *in caussa propria* esse locutos argutantur, multis prosequitur Cl. Zallinger in *Lib. subsidiar. ad jus eccl. publicum*, tom. II, § 94.

(3) Lib. III, *Adv. hæres.* cap. 3. — De vi atque intelligentia hujus splendidissimi testimonii pro Primatu ejusque *absoluta* inerrantia consul. P. Ballerinium, *De vi ac ratione Primatus*, cap. XIII, § 1, — Soardi, *De suprema Rom. Pontificis auctoritate*, tom. I, lib. I, cap. III, — Renatum Massuet, *Dissertationes prævіæ in Irenæi libros*, diss. III, art. IV, n. 26, seqq. pag. 118. — Aug. Roskovàny, *De Primatu Rom. Pontificis*, § 19 seqq. — Vid. etiam infra cap. V, sect. II, § 26.

» placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, » vel malam sententiam præter quam oportet, colligunt; ad hanc enim Ecclesiam, propter potiorem » (al. potentiorem) principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, » conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio ». *i*) — *D.* tandem *Bernardus* (1) « Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, et scandala emergentia in regno Dei, ea præcipue, quæ de » fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi fides non potest » sentire defectum. Cui enim alteri aliquando dictum » est *Ego pro te rogavi etc.* Ergo quod sequitur, a » Petri successore exigitur, *Et tu aliquando conversus* » *confirma fratres tuos* (2). » Duo hæc præclara Gallicanæ Ecclesiæ lumina Irenæum atque Bernardum maxime sequuti sequiores Galliæ Præsules, et præpostera inde respuentes interpretamenta nuperorum quorumdam Galliæ Theologorum (3), cum ceteris

---

(1) *Epist.* 109 *ad Innoc. II.*

(2) Longa hac serie Patres hos adferre voluimus, ut nobis etiam alibi inserviant, ubi de ratione, qua Christus Ecclesiæ suæ adversus omnes casus necessitatis providerit, sermo erit.

(3) Nimirum Tournelii, *Tract. de Ecclesia*, q. 5, art. 3, — Natalis Alexandri, *Hist. eccl.* sæc. XV et XVI, diss. IV, n. 14, — Dupinii, *De antiq. Eccl. discipl.* diss. V, c. II, — Launoii, part. V. *Epist. ad Jacobum Bevilaquam*, — Auctoris *Defensionis declarationis cleri Gallicani*, part. II, lib. XV, c. IV, — Gilb. de Choyseul, *Epistol. ad M. Steyaert de potestate ecclesiastica*, aliorumque, qui omnes hic adversarium habent Petrum de Marcam, Archiepiscopum Parisiensem, in *Commentariolo suo pro*

Pontificiæ infallibilitatis (ἀσφαλείας) assertoribus nitide docuere, in ea Christi oratione fidei indeficientis donum non Petro dumtaxat, sed et ipsius successoribus fuisse promissum; declararunt pariter, Petro ejusque successoribus non modo præceptum, sed et datum a Christo, ut in dissidiis circa fidem aut mores emergentibus suos in sana doctrina fratres confirment et corroborent (1).

3. Porro cum, quod oravit pro Petro Christus Dominus obtinuitque, pro ejusdem etiam in Rom. Sede successoribus, judicio quidem veterum Patrum, Conciliorum atque Pontificum, oraverit et obtinuerit; profecto ex ea Christi oratione pro Petro fusa, Romani Pontificis infallibilitas certa illatione probatur, atque convincitur. Attamen, inquit Canus (2), « Nolumus hic nos Ecclesiæ sententiam prævenire, sed si ad generale concilium referatur adversa sententia hæreseos nota illi inuretur. Nec enim video, cur, quid ipse sentiam de hac re, non audeam dicere ». Illud insuper oppositores monet Ballerinius : « Ut etiam atque etiam videant, qua se possint æqua ratione ab omni culpa purgare coram Deo, dum infallibilitatem Pontificiam eo nomine impugnatur, quia dogma catholicum non est, non paucos hoc tempore erga Pontificiam auctoritatem non bene animatos excitabunt ad

---

thesi Jesuitæ Claramontani a. 1661, in quo fatetur ipse, Gallicanam opinionem tolerari quidem ab Ecclesia, oppositam vero extra Galliam ubique tradi.

(1) Cf. Soardi, tom. I, c. II.

(2) *De loc. theolog.* L. VI, c. VII.

eam contemnendam atque carpendam in ipsis definitionibus fidei, sicque a debita fidei unitate atque obedientia plurimos retrahent. Si de solius disciplinæ materiis, in quibus unitas cum Romana Sede omnibus Ecclesiis jure divino necessaria non est, tota esset concertatio, salva tamen semper Apostolica Potestate et debita moderatione adhibita; non esset magnopere laborandum. At certamen in materia fidei, in qua unitas cum Romana fide catholicæ unitatis centro est maxime necessaria, certamen, inquam, eorum, qui huic unitati impedimentum afferunt, quis excusare et defendere potest? Nonne id est sese apertissime opponere institutioni et consilio Christi Domini, qui Pontificio Primatu unitati, potissimum fidei, prospicere voluit : ut omnes cum ea potestate conspirantes, eidem unitati custodiendæ cooperentur, nulli autem resistentes et oppugnantes, in ipsa fidei unitate scissuras et dissensiones pariant aut foveant (1)? »

---

(1) *De potest. eccles. SS. Pontif.* — *Appendix de infallib. Pont.* § X. — Ita quoque præter Bellarmin., Card. Gotti, *Tract. I, Isagog.* q. 3, dub. VI, n. 34. Bolgeni, *L'Episcopato* vol. III, App. DD, n. 828. Orvieto 1837. Muzzarelli, opus c. *L'infaillibilité du Pape*, I. part., p. 169, cujus verba citari merentur : « Il resterait à examiner si, après tout cela, la question de l'infaillibilité du Pape appartient à la foi, quoiqu'il n'y ait pas encore à ce sujet de décision de l'Eglise. Or il semble certain qu'elle lui appartient comme *objet*, et qu'elle lui appartient comme *règle* : comme *objet*, parce qu'on peut soutenir avec raison que l'infaillibilité du Pape est une vérité révélée. Il est vrai que sur ce point il n'y a pas de déclaration expresse et formelle de l'Eglise ; mais cependant tous les Gallicans catholiques conviennent que l'enseignement du plus grand nombre des Evêques unis au Pape

Meminerint quoque, qui nostram non tenent sententiam, excommunicationis pœnæ ab Alexandro VIII (1) *ipso facto* illatæ illi, qui seq. propositionem defenderet, « Futilis et toties convulsa est assertio de Rom. » Pontificis supra concilium œcumenicum auctoritate » atque in fidei quæstionibus decernendis infalli- » bilitate. »

§ 15.

c) Apud Joan. XXI Petro rectoria potestas summa plenaque a Christo actu confertur. — Patres.

1. Tertius tandem Evangelii locus habetur apud

» suffit pour déterminer notre foi. Il faudrait donc examiner si » l'infaillibilité du Pape a été universellement enseignée par les » Evêques unis au Pape. On peut voir cette recherche épuisée » dans plusieurs auteurs ultramontains, qui rapportent les té- » moignages de la doctrine favorable au Pape jusqu'au dernier » siècle ; et pour le dernier siècle, il suffit de ce qu'en assure » M. le Normant, évêque de Limoges, qui disait : « Il n'y a » nulle apparence que les Evêques des Eglises étrangères, dans » un concile général, changent de sentiment sur l'infaillibilité » du Pape ; et les Evêques d'Italie, d'Allemagne, d'Espagne, de » Portugal, de Hongrie, de Pologne, de Dalmatie, sont pour » l'infaillibilité... » Voilà donc jusqu'au dernier siècle, toutes les » Eglises déclarées pour la doctrine de l'infaillibilité, à l'excep- » tion d'une grande partie des Eglises gallicanes qui sont bien » inférieures en nombre à l'ensemble des autres Eglises... Ainsi » il ne faut plus demander, si cette infaillibilité doit servir *de* » *règle* pour diriger et assurer notre foi. Qui en pourra douter, » après que l'Eglise, se soumettant toujours aux décrets doctri- » naux des Papes, en a fait la règle de sa foi pendant une longue » suite des siècles. »

(1) *Decret. die 7 Decemb.* 1690.

Joan. XXI, 15, seqq. quo loco promissis suis fideliter stans veracissimus, quippe divinus, Ecclesiæ fundator Deus-Homo, Jesus Christus ante suum in cœlos ascensum, *actu*, ut aiunt, *Petro* contulit societatis suæ Principatum, committendo ipsi pascendos *agnos suos et oves* sive fideles omnes (1), illumque

(1) v. 15. « Βόσκε τὰ ἀρνία μου — 16. ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, — 17. Βόσκε τὰ πρόβατα μου. — De *Authentia* hujus loci nulli prudenti dubio locus esse potest. Ita Tholuck, *Commentar zum Evangelio Joannis*. Hamb. 1831. — Frustra quidam persuadere cupiunt, Christum trina interrogatione ad Petrum posita, voluisse, ut is in officium Apostolatus, e quo trina negatione excidisse videbatur, restitueretur; ita ut hic sensus esset : « Amore tuo constantiaque promissis, recipio te rursus in numerum Apostolorum meorum tibique cum ipsis Ecclesiæ meæ curam iterum committo. » Ita Pinelius, *Ueber den Primat des Pabstes*, p. 66 f, — Kuinoel ad h. l. — H. Meyer, *Kritisch exegetischer Kommentar über das N. T.* Götting. 1834. — Quibus accensendus Dr Bretschneider, qui tamen non ubique sibi constat. Vid. *Allgemeine Kirchenzeitung*. Darmstad 1833, n. 103, p. 831. — Ποιμαινειν (pascere) in S. Bibliis sæpe idem ac *regere*. Cf. II, Reg. c. V, 2 et VII, 7. — Paralip. XVII, 6. — Is. XLIV, 28. — Ezech. XXXIV, 2 et 23. — Jerem. XXIII, 1. — Ps. II, 9. — Math. II, 6. — Sic quoque apud profanos, qui principibus suis *Pastorum* nomen attribuere consueverunt, quo laudis apposito ποιμένες λαῶν illos passim Homerus designat. — Hinc apud Ægyptios Reges vocati fuere *Sesos* (pastores), inde *Sesostris*, qui inter Ægyptiorum *reges pastores* primus fuit (Manethon apud Flav. Joseph. lib. I *Contra Appionem*). Etiamnum in lingua Coptica, quæ plura ex Ægyptiaca habet, *Pastor* vocatur *Sos* (*Sesos* idem ac *Sos* cum addito art. *Se*), Chapelle, *Histoire des temps fabuleux confirmée*, tom. II, p. 188. — Nomen quoque *Pharaonis*, quod regibus Ægyptiorum pariter commune fuit, idem est ac *pastor*, atque derivatur a רָעָה, cum præfixo Ægyptiorum articulo פ, Jablonski *Opusc.* tom. I, pag. 374, ed. Lugd. B. 1806.

constituit Rectorem universalem, supremum et independentem et ecclesiasticæ inde communionis regiminisque commune omnibus atque necessarium centrum (1).

2. Ita quoque Patres hunc textum interpretantur. Inter innumeros duos tantum adferam — *a*) *S. Eucherium* Lugdunensem, qui ita loquitur (2) : « Dicit » ei Jesus : *pasce oves meas*. Prius agnos, deinde » oves committit ei, quia non solum pastorem, sed » pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur » Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et » matres : regit subditos, regit et prælatos. Omnium » igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ec- » clesia nihil est. » — *b*) *D. Bernardum*, qui ad

(1) « Soit habitude, soit indifférence, on ne sent pas assez tout » ce qu'offre de sublime, dans sa touchante simplicité, l'établis- » sement de l'Eglise créée par quelques paroles, comme le monde » à qui elle doit survivre. Il faut être sans goût pour ce qui est » grand, pour ne pas voir dans cette simplicité même un frappant » caractère de divinité. *Que la lumière soit, et elle fut. Allez* » *baptisant et enseignant toutes les nations : voilà je suis avec vous* » *jusqu'à la fin des siècles*. C'est la même voix, la voix d'un Dieu » qui a prononcé ces mots ; jamais il n'en sortira de semblables » de la bouche des hommes. Et quelle parfaite analogie entre ces » deux créations séparées par quatre mille ans ! La lumière ma- » térielle qui éclaira le chaos à l'origine des temps n'était-elle » pas une fidèle image de la lumière spirituelle qui devait éclairer » le chaos plus ténébreux de l'esprit humain corrompu, vers la » consommation de ces mêmes temps. » Ita Auctor operis *Tradition de l'Eglise etc.*

(2) *Serm. de natali SS. Apost. Petri et Pauli*, qui Eusebii Emissenii nomine circumfertur, et quem alii S. Brunoni Astensi attribuunt.

Eugenium P. scribens ait (1) : « Tu es potestate *Petrus* : tu es, cui claves traditæ sunt. Sunt quidem » et alii cœli janitores, et gregum pastores, sed tu » tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque » præ ceteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi adsignatos greges, singuli singulos : tibi universi crediti, uni unus ; nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem » quæris ? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves ? *Si me amas Petre, pasce oves meas.* Quas ? illius vel illius populos » civitatis, aut nationis aut certi regni ? *Oves meas*, » inquit. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Ergo » juxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, » tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum » potestas certis arctatur limitibus, tua exstenditur » et in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. » Dum hæc legimus, videtur nobis D. Bernardus velle ex industria convellere eam, quæ post ipsum in sua gente nata est, absurda distinctio inter Episcopos distributive aut collective sumptos, atque doctrinam de potestate R. Pontificis conditionate plena.

§ 16.

Universalis a Christo Petro collata fuit rectoria potestas in universam Ecclesiam.

1. Ex iis, quæ modo ex S. Scriptura et traditone

(1) *De considerat.* lib. II, c. VIII.

de Petro totius Ecclesiæ posito *Fundamento*, — fratrum omnium in fide, ex imposito munere, *Confirmatore*, — atque cunctarum ovium Christi et agnorum constituto *Pastore* huc usque diximus, necessario evidenterque sequitur, Petri Primatum *ad populum judaicum* restringi non posse, sed ad universalem Ecclesiam debere extendi. Et quis hoc profecto sobrius negaverit? Attamen asserere ausus est quidam anonymus (1), verba illa Joan.: *Pasce oves meas.. agnos*

(1) In libello, qui Latino et Gallico idiomate Londini a. 1769, occasione constit. *Unigenitus* procusus fuit sub hoc titulo, *De Primatu Rom. Pontificis.... opus, cujus scopus est, demonstrare, Primatum Rom. Episcopi inter alios Episcopos nullum, nisi honorificum esse, et illum Primatum nec divinum, nec jurisdictionis esse.* — Quod libro Nicolai ab Hontheim ad complementum sive consilii sive operis deesse adhuc videri poterat, id totis viribus prosequutus est hic Auctor, qui protestantium et M. A. de Dominis systemati inhæret, et vulgo *Pinelius* creditur esse. (Cf. *Jahrschrift für Theologie und Kirchenrecht der Katholiken*, Ulm 1810 II. B. 3 Heft, p. 740, Biographie universelle art. *Pinel*, *Theologisches Literaturblatt zur allgemeinen Kirchenzeitung*, 1833, n. 3, p. 17). Vel certe Pinelio idem error; scribit enim, *Ueber den Primat des Pabstes*, p. 56 f, « Ich bin geneigt zu glauben, » dass hier die Schafe des Hauses Israëls gemeint sind. Die Wirk- » samkeit des Petrus bestätiget es, denn er hat beinahe sein gan- » zes Leben in Judäa zugebragt. Er war weit davon entfernt, sich » als einen Hirten der Heiden anzusehen. Uebrigens ist klar, dass » aus diesen Worten zu Gunsten des Primats, nichts geschlossen » werden kann. » — Hanc multorum etiam aliorum insaniam refutarunt Vincentius Lupolus, *Juris ecclesiastici prælectiones*, tom. I, c. IV, § 12, 13, Bassani 1787, — Auctor operis: *Quis est Petrus*, (sive) *Jura Rom. Ecclesiæ* etc. § 4, 5, 6, 7, — Andreas Frey, *Kritischer Commentar über das Kirchenrecht*, II Th. § 12, *in nota*. Cf. quoque Bellarmin. *De Rom. Pontif.* lib. I, c. XVI, adversus Lutherum ejusque asseclas.

meos non de omnibus ubique terrarum gentibus, quæ fideles Christi fierent, esse intelligenda, sed de solis Judæis, ad quos missus erat Christus; quoniam — I° Christus solos Judæos, ad quos dumtaxat se missum fatetur (Math. XV, 24 « *Non sum missus nisi ad oves*, » *quæ perierunt domus Israel*) » vocat oves *suas* (Joan. X, 14 « *Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas*, » *et cognoscunt me meæ* »), ergo verbis : *pasce oves meas*, judæos tantum intelligens, ipsis solis Petrum præfecit. — Ad quæ R. *a*) Christum ovium suarum nomine præter Judæos etiam gentiles intellexisse, constat ex Joan. V, 16 « *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex* » *hoc ovili : et illas opertet me adducere, et vocem* » *meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor ;* » quibus verbis gentiles, licet adhuc ad fidem convertendos, jam oves suas affirmat, Judæos vero *Joan. X*,26 non credentes ex numero ovium suarum esse negavit, « *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* » — *b*) Dum Christus dixit, se non esse missum, nisi ad oves domus Israel, suam erga Judæos prædilectionem, eorumque prærogativam, quippe quibus ipse propria sua voce prædicavit, voluit ostendere, eos vero suas tantum fore oves, nequaquam; namque prædixit, eos propter incredulitatem rejiciendos, gentiles vero ad fidem eligendos, quos ideo jam oves suas vocat. — *c*) Bonus ille pastor (Joan. X.) Christus animam suam dedit *pro ovibus suis ;* h. e. pro omnibus certe fidelibus, ex queis cunctis unum ovile, cui unum præfecit Pastorem, Petrum. — *d*) Christus, dum per *oves suas* Judæos tantum intelligit id expresse declarat. — *e*) Præterea apprime Bellar-

minus rem ita probat dicens (1). « Vel commendavit » Christus Petro oves suas omnes, vel nullas; vel » aliquas certas ac definitas, vel aliquas indefinitas. » At nemo dixerit, nullas aut aliquas certas esse com- » mendatas. Id enim est manifeste falsum : nec etiam » aliquas indefinitas, quia non est sapientis proviso- » ris relinquere indefinitam curam, cum possit eam » definire, præsertim cum certa confusio et pertur- » batio ex illa indeterminatione oriatur. Præterea com- » mendare aliquas et non indicare quas, idem esse » videtur, ac si commendarentur nullæ. Quas enim, » quæso, pascet, qui gregem suum non cognoscit? » Restat igitur, ut omnes omnino suas oves Petro » Christus pascendas assignaverit. » —*f*) Denique dubium si quod esset de sensu verborum : *pasce oves meas*, traditio omne tolleret.

2. Quoniam—II° Christus paulo post omnibus Apostolis, proinde et Petro, præcepit, ut irent, atque docerent omnes gentes, iisque evangelium prædicarent, Math. XXVIII, 19, Marc. XVI, 15. Ut quid idem mandatum paucos ante dies Petro dedisset, si oves ejus alii insuper fuissent quam Judæi? Igitur ne actum egisse dicatur Christus, voluit ipse verbis his : *pasce oves meas*, solos judæos Petro commendare. — R. Ad hoc varia hic pro suo unusquisque systemate respondet, quo duo hæc juris Ecclesiæ publici loca (Joan. XXI, et Math. XXVIII.) concilientur.— 1) Dicunt Christocratici sive Aristocratici sacram potestatem ex Math. XXVIII collegio Episcoporum inhærere, quam

(1) *De Rom. Pontif.* Lib. I, c. XIV, seqq.

tamen singuli Episcopi habitu in solidum, et in universa Ecclesia, actu vero in portionibus sibi concreditis exerceant, præcipuo autem modo illam ex Joan. XXI exequatur Primas Ecclesiæ universæ ad unitatem conservandam. In hoc quod ultimo hic loco adjungunt, *a Marco Antonio de Dominis* et *Febronio* ipsoque anonymo nostro imprimis differre videntur. — 2) Gallicani asserunt (ex Matth. XXVIII) collegium Episcoporum suprema et absoluta in universam Ecclesiam, Petrum autem ex Joan. XXI, in singulas Ecclesias summa etiam, sed provisoria tantum potestate donari. — 3) Alii dixere (Joan. XXI) Petrum summam eamque ordinariam, singulos vero Apostolos, atque etiam Petrum (Matth. XXVIII) summam pariter, sed *extraordinariam* sive Apostolatus potestatem in universam Ecclesiam accepisse. Hanc sententiam ingenio meo non adsequor. Anne ita Christus, quod apud Joan. XXI in Petro perfecte egerat, hic apud Matth. XXVIII imperfecte denuo egisse dicendus esset? — 4) His omnibus sanius sapientes alii sic rem composuere, ut dicant, apud Joan. XXI, Petrum singulariter summæ potestatis *physicum subjectum* a Christo poni; collegium vero Apostolorum Petro unitum apud Matth. XXVIII constitui ejusdem potestatis *subjectum morale* idque extraordinarium ad majorem scil. Ecclesiæ utilitatem. — 5) Tandem dici potest, apud Matth. XXVIII doceri a Christo Apostolos, quinam essent ad fidem vocandi, quod Joan XXI non declaverat; simulque eos institutam Ecclesiam prædicatione sua latius extendendi missionem a Christo accipere et fiduciam; apud Joan. autem XXI

Petrum et institutæ a Christo ipso Ecclesiæ et per Apostolos quaquaversum propagandæ pastorem constitui et principem summum. Ultima hac sententia Anonymo plene satis fieri nemo non videt. Quoniam namque magnopere a se differunt hæc duo : mandatum Ecclesiam doctrinæ prædicatione propagandi et mandatum eam pascendi ; et ea propter non immerito diversis in locis, atque ad diversas personas a Christo dicta. Ceterum, quod Judæa tantum fuerit Petro singulariter a Christo commendata, id oppido falsum est, atque Historiæ repugnat, nam S. Jacobus, quoad vixit, Hierosolymarum fuit antistes, et omnes Apostoli, antequam se ad gentes verterent, solis Judææ finibus sese continebant, ipseque Petrus primus ad Gentiles Evangelium detulit.

3. Quia tandem—III° Paulus ad Gal. II, 7, 8 dicit : « *Cum vidissent, quod creditum est mihi Evan-* » *gelium præputii, sicut et Petro circumcisionis,* » *(qui enim operatus est Petro in Apostolatu circum-* » *cisionis, operatus est et mihi inter gentes).... dex-* » *tras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos* » *in gentes, ipsi autem in circumcisionem.* » Quibus verbis Paulus asserit, jure divino et humano divisam fuisse jurisdictionem ipsum inter et Petrum, ac Petro quidem attributum populum judæorum, Paulo autem gentium ; non igitur, si Paulo fides, omnes Christi oves Petro commendatæ fuere. Ita ille cum Luthero, protestantibus atque Jansenianis (1).— Ad hæc valde

(1) Quorum quidam ex præfatione Antonii Arnaldi libri, *De frequenti communione* duplex Ecclesiæ caput SS. Petrum et Paulum

apposite respondet sequentia Bellarminus (2), nimirum « propositum Pauli in epistola ad Galatas non fuisse, ostendere se non esse Petro subjectum, quod attinet ad gubernationem, nullam enim hujus rei mentionem facit, sed Evangelium suum æque verum et divinum esse, et a Christo ipso immediate acceptum, atque Evangelium Petri et Jacobi et Joannis. Id enim est quod Pseudoapostoli jactaverant, nimirum Petrum, Jacobum et Joannem a Christo doctos, Paulum hominum esse discipulum, proinde verius existimandum illorum, quam Pauli Evangelium. Itaque adversus hasce Pseudoapostolorum calumnias ita Paulus orditur epistolam suam. *Paulus, apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem.* Et infra : *Notum facio vobis Evangelium, quod evangelizatum est a me,*

---

constituere, nixi imprimis loco ex *Epist. ad Galatas* citato. — Notandum, propositionem hanc : *SS. Petrus et Paulus sunt duo Ecclesiæ capita unum caput constituentes*, in Congregatione S. Officii die 29 Jan. a. 1647 proscriptam, et ab Innocentio X hæreseos notatam fuisse, eo sensu scil. *explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate et regimine universalis Ecclesiæ.* Hoc Pontificium decretum tamquam æquissimum, Gallicana quoque suscepit Ecclesia, quemadmodum constat ex litteris 85 Episcoporum Galliæ a. 1653 ad Inn. X datis. Igitur licet D. Paulus aliis nominibus prædicationis, doctrinæ, ærumnarum S. Petro æqualis, aut superior fuerit, ipsi tamen ratione Primatus subordinatus et subjectus erat *in potestate suprema et in regimine universalis Ecclesiæ.* Cf. Veith, *De Rom. Pontif. Primatu*, sect. I, § 15, seq.—Bolgeni, *L'Episcopato* c. II, n. 11.—Vinc. Lupoli, *op. cit.* tom. II, cap. II, § 5, 6.

(1) *Lib. cit.* c. XVI.

quia non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. Atque hic pertinet illud : *Qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt;* significat enim his verbis Paulus, nihil se doctrinæ ab Apostolis ceteris accepisse, sed de omnibus a Christo diligenter instructum. Quod autem addit : *Dexteram mihi dederunt societatis*, cogit quidem, ut credamus, Petrum et Paulum socios fuisse in officio prædicandi, sed non prohibet, ut intelligamus, Petrum Paulo fuisse majorem in officio gubernandi.—Hinc fluit, divisionem, de qua Paulus in epistola ad Galatas agit, non esse jurisdictionis, sed provinciarum ad commodius prædicandum Christi Evangelium. Quamquam enim poterant Apostoli omnes et etiam singuli in universo orbe terrarum Evangelium prædicare, tamen ut celerius et facilius id fieret, duplex distributio provinciarum inter Apostolos facta est. Una inter Apostolos duodecim, qui, ut ex Origine refert Eusebius (1), ita inter se provincias diviserunt, ut Andreas Scythiam, Thomas Parthiam, Indiam Bartholomæus, Mathæus Æthiopiam, Joannes Asiam, atque alias alii Christi Evangelio susciperent imbuendas. Altera distributio inter Petrum et Paulum facta est, nimirum ut Petrus *præcipuam* operam in conversione Judæorum poneret, nec tamen a gentilium conversione prohiberetur,

(1) Lib. III, *Hist.* c. I. — Adde S. Hieronym. in *Isaiam* cap. XXIV, opp. tom. IV, col. 446, edit. Venet. 1766, et S. Leonem M., *Serm.* 82 *in natal. Apostolor. Petri et Pauli* c. III, opp. tom. I, col. 322, edit. Ballerin. Venet. 1753.

Paulus e contrario gentilium conversioni *potissimum* studeret, nec tamen ab Hebræorum conversione penitus vacaret. Quæ omnia ex divinis litteris parvo negotio confirmabimus. Ac primum, quod Petro licuerit gentibus prædicare, tametsi Judæorum Apostolus esset, constat ex multis locis. Ipse enim prædicavit Cornelio et toti domui ejus (Act. X), de qua re sic ipse loquitur Act. XV, *Vos*, inquit, *scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus elegit per os meum gentes audire verbum Evangelii et credere.* Deinde Matthæi ultimo, Dominus omnibus Apostolis dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes.* Et Marci ultimo: *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Poterant igitur jure divino prædicare omnes Apostoli omnibus gentibus. Et certe non excluditur Princeps Apostolorum ab eo jure, quod omnibus Apostolis datur. Præterea Innocentius I (1), docet, in tota Italia, Gallia, Hispania, Africa, Sicilia, Ecclesias constitutas a Petro, vel ab iis, quos partim ipse, partim successores ejus miserunt. Has autem Ecclesias gentilium præcipue fuisse, negari non potest. Denique si Petrus tantum Judæorum et non gentium Apostolus erat, cur sedem Episcopatus sui non posuit Hierosolymis, quæ metropolis erat Judææ, sed primum Antiochiæ in Syria, deinde Romæ, quæ urbes gentium erant? Et cur gentiles, qui erant Antiochiæ, quæstionem de legalibus non detulerunt ad Paulum, qui erat gentium Apostolus, sed ad Petrum et Jacobum, qui erant Apostoli Judæorum? Jam vero potuisse etiam Paulum Judæis evangelizare, licet

(1) *Epist. I ad Decentium*, c. I.

principale mandatum de salute gentium accepisset, ex ejus rebus gestis perspicuum esse potest. Nam quocumque ibat, in synagogis Judæorum evangelizabat (2). Poterant ergo jure divino tum Petrus, quam Paulus, omnibus prædicare, tam Judæis, quam gentibus; quia tamen Paulus gentium præcipue apostolus erat, id circo Act. XI Dominus ipse de Paulo dicit : *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et* FILIIS ISRAEL. Ubi filii Israël ponuntur ultimo loco, gentes autem primo. Petro autem cum aliis Apostolis dicitur Act. I *Eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judæa, et Samaria,* ET USQUE AD ULTIMUM TERRÆ. Ubi Judæi ponuntur primo loco, et gentes ultimo. Hoc ergo est, quod Paulus dicit, Petrum fuisse apostolum circumcisionis, se autem præputii ».

§ 17.

Suprema illa plenaque regendi Ecclesiam universalem potestas proxime Petro ipsique soli, in allatis textibus ab ipsomet Christo collata est.

1. Supremam atque universalem rectoriam potestatem, quæ insignibus illis tribus Evangelii locis supra allatis continetur, a Christo ipso, (non ab Ecclesia, non a ceteris Apostolis) ἀμέσως *proxime* Petro ejusque successori Rom. Pontifici, (non Ecclesiæ, non Apostolis reliquis), fuisse traditam, ex iis-

(2) Vid. Act. XIII, XIV, XVII, XVIII, XXVIII, et I Cor. IX, et II Cor. XI.

dem Scripturæ locis vel parumper attendenti tam perspicuum, exploratumque est, ut magnopere mirari subeat, quî umquam fieri potuerit, ut in alienum sensum ea verba sumerentur. Quid enim, amabo, immediatius Petrum respicere posset ipsique a Christo proximius dici, quam *Tu es Petrus.—Super te* (*petram*) *ædificabo* ECCLESIAM *meam.—Tibi* (non Ecclesiæ, non Apostolis ceteris) *dabo claves*, hoc est, totam potestatem, — *Simon, Simon... tu confirma fratres tuos* (non ipsi te) — *Simon.. pasce agnos meos.. pasce oves meas?* In hac quoque doctrina toti sunt Patres, atque concilia. Quod quia perspicue verum, nihil attinet probari.

2. Nihilo secius inde a tempore famosi illius, quod sequioribus omnibus in errore refugium fuit, Constantiensis concilii, (cui præiverant quidem nonnulli absurdissimi ingenii viri), ad nostrum hoc usque tempus prædicti scripturistici divini Ecclesiæ publici juris textus, imprimis illi Matth. XVI, et Joan. XXI ex præconceptis opinionibus locisque quorumdam Patrum male intellectis (1), hanc falsam intelligentiam apud multos

(1) Patres, qui vulgo ab adversariis in sententiam suam afferuntur, sunt fere sequentes : Tertullianus, *Scorpiac.* c. X, — S. Cyrillus Alexandrinus, *Lib. XII super Joan.* v. 22 et 23. S. Basilius, *In constit. monastic.* c. XXIII, — S. Ambrosius, *De dignitat. sacerdot.* c. II. — S. Fulgentius, *Lib. I de remissione peccator.* c. XIX. — Greg. M. *Lib. VI expositionis mor. in* cap. XVI, lib. I, Reg. c. III. — Ven. Beda, in cap. XIX et XXI. *Matthæi.* — Sed præ ceteris *S. Augustinus*, Serm. 295 (al. 108) de diversis. — Tract. 118, in cap. XIX Joan. et Tractat. 124, in cap XXI Joan. item lib. III de Baptism. contra Donatistas cap. XVIII, et Comment. in Psalm. 108, et alibi crebro

obtinuerunt, ac si Petrus, non sui, sed Ecclesiæ sive fidelium multitudinis, vel saltem corporis Apostolorum personam sustinuisset, proindeque eam summam

— Ad hujus operis consilium non pertinet, nec ipsi præstituta brevitas patitur, ut ejusmodi testimonia copiose illustrem. Qui id apprime præstarunt, Lectori meo auctor sum ut adeat : nimirum Bellarminum, *De Rom. Pontif.* lib. I, c. XII et XIV. — Maldonatum et A Lapide in c. XVI Math. et XXI. Joan. — Petavium, *De eccles. Hierarch.* lib. III, c. XIV, seqq. — P. Ballerinium, *De vi ac ratione Primatus*, c. IX. — Joan. a Turrecremata *Apologia pro Eugenio IV.* nº 40, seqq. — Coeffetau, *Pro Monarchia S.* lib. I, discussio III, — Duvallium op. cit. — Zaccariam, *Antifebronius vindicatus*, part. I, dissert. II, c. II, n. V. — Laur. Veith, *Richerii systema confutat.* § 16, seqq. — G. Bolgeni, *l'Episcopato*, tom. I, c. I, n. 6, et edit. 1837, tom. I, n. 37-51. — Ex ipsis pauca hæc generatim dicam : nimirum, non esse intelligendum, hoc eo consilio a *S. Augustino* aliisque Patribus scriptum, ut significarent, Petrum ea in re tamquam legatum Ecclesiæ aut ceterorum Apostolorum fuisse, et non potius ut Ecclesiæ Apostolorumque supremum post Christum et sub Christo Rectorem ac Moderatorem. Juxta ipsos Petrus sibi suoque successori a Christo rectoriam potestatem ut ejus subjecto immediato accepit, (non sui tamen gratia, ob privatumve suum commodum, ut cum ipso interiret esseque in Ecclesia desineret), et *Ecclesiæ* eam accepit, hoc est, in successoribus suis, supremis ipsis quoque Ecclesiæ Rectoribus, perpetuo *in Ecclesia* continuandam, — *Ecclesiæ* eam accepit in Ecclesiæ scil. bonum ab ipso exercendam, — *Ecclesiæ* eam accepit, ita ut extra Ecclesiam, extra unitatem cum Petro ea non haberetur. En qua ratione Petrus accipiendo a Christo supremam potestatem, figuraverit, representaverit Ecclesiam ; figuraverit, representaverit unitatem Ecclesiæ! Jam hæc Hipponensis Præsulis perpende loca : *Serm.* 295, « Inter hos » (discipulos) pene ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit » gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Eccle» siæ solus gestabat, audire meruit : *Tibi dabo claves regni cœlo*» *rum.* Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ec» clesiæ ». Tract. 124, in Joan. « Petrus Apostolus propter

potestatem, quæ illis continetur, non sibi, sed Ecclesiæ, aut ceteris etiam Apostolis, ut subjecto, in quo resideret, accepisset; atque ita a Protestantibus,

---

» Apostolatus sui *Primatum* Ecclesiæ gerebat figurata quadam ge-
» neralitate personam. » — In Ps. CXLIX.—« Quoniam in signi-
» ficatione personam Petrus gestabat Ecclesiæ, quod *illi uni* datum
» est, Ecclesiæ datum est. » — Enarr. in Ps. CVIII. « Sicut enim
» quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum pertinere viden-
» tur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum refe-
» runtur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse
» personam *propter Primatum*, quem in discipulis habuit, sicuti
» est : *Tibi dabo claves regni cœlorum* etc. — Præterea sæpe Aug.
» habet : *Claves datæ sunt non uni, sed unitati.* etc.» —Cur ita Patres hi aliique post ipsos loquuti fuerint, historicam modo accipe rationem : — *A*) propter *Montanistas* et *Novatianos* asserentes, Petrum *personaliter* hanc solvendi potestatem accepisse, ad alios non transituram; atque ita Ecclesiam non posse, saltem non graviora, peccata remittere. Ita Tertullianus jam Montanista argumentatur, *De Pudicitia*, c. XXI, opp. p. 574.—Respondent patres : Petrum eam accipisse *active*, in bonum Ecclesiæ, atque hinc in persona Petri ipsam Ecclesiam illam recepisse, h. e. *passive*, sive potestatem eam perpetuam esse debere, quia concessa fuit propter Ecclesiam perpetuam. Hinc Aug. *Tractat.* 50, in Joan. n. 12. « Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia (remittere peccata)... Verum « si hoc in Ecclesia fit, Petrus, quando claves accepit,
» Ecclesiam sanctam significavit. » — B) *Adversus Donatistas et Schismaticos ceteros*, ut eos ad Ecclesiæ unitatem reducerent, dixerunt patres : Cyprianus, *Epist.* LXXIII, n. 5. — Augustinus, *Tract. X*, in Epist. Joan. n. 10. — Fulgentius, lib. I, cap. XIX, *De remiss. peccator.* opp. pag. 374, remissionem peccatorum extra Ecclesiam, extra unitatem Ecclesiæ non dari; namque (Fulgentius)
« In sola Ecclesia catholica datur et accipitur remissio peccatorum,
» quam ipse sponsus *super petram fundavit*, cui claves regni
» cœlorum dedit, cui potestatem ligandi solvendique concessit,
» sicut B. Petro veritas ipsa veraciter repromittit, dicens : *Tu es*
» *Petrus* etc.— Ab hac Ecclesia, quæ claves regni cœlorum acce-

a Richerio et M. A. de Dominis, a Gallicanis, Janseniænis, Febronio ejusque asseclis modo Democratiæ, modo Aristocratiæ vel Christocratiæ, accommodati fuere (1). Errantium hic multitudo errori quidem non parit patrocinium, magnopere tamen attendatur volo, ne quis ab ipsis decipiatur incautus; namque vere scopulus hic est, et absque intento animo, etiam difficultas, ut rite recteque explicentur, atque secum invicem concilientur illi Scripturæ et Traditionis textus, qui de *subjecto*, cui proxime a Deo conferenda aut collata dicitur regendi potestas, agunt agereque viden-

» pit, quisquis foris est, non cœli viam graditur. » — (Aug.) « Ubi remissio peccatorum, Ecclesia est. Quomodo Ecclesia? Illi » enim dictum est : *Tibi dabo claves*, etc. » — Hinc insuper illud Augustini : « claves datæ sunt non uni, sed unitati » h. e. non *uni*, ut cum ipso cessarent, sed etiam successoribus ejus, atque iis, quibus ipsi eas largiti essent, atque ita *unitati*, i. e. iis qui cum capite uniti essent. Apposite hic S. Hilar. lib. IV *De Trinit.* n. 14. « Intelligentia dictorum ex caussis est assumenda dicendi, » quia non sermoni res, sed rei debet esse sermo subjectus. »

(1) Quoad neotericos Galliæ Theologos, quos supra citavimus, nota : hos Theologos non semper sibi constare, dum asserunt *claves Ecclesiæ datas esse*, nam per *Ecclesiam* modo docentem sive *sacerdotalem*, modo fidelium cœtum intelligunt. Ita quoque inconstans sibi Richerius fuerat, postquam enim asseruerat totam jurisdictionem *proprie* Ecclesiæ datam esse, tamen adjecit, Christum immediate et per se claves, sive jurisdictionem ordini hierarchico contulisse per immediatam et realem missionem omnium Apostolorum et Discipulorum (apud Veith. p. 9); quod Febronius aliique ita conciliant, ut jurisdictio immediate a Christo Episcopis dici possit concessa, quia sic Ecclesiæ ab ipso collata fuit, a qua ipsi eam habent (Cf. § 9 et 15). Textuum illorum explicationem suo systemati accommodatam vid. etiam apud Rechberger, *Enchiridion juris eccles. Austriaci*, § 79. — Cherier, *Enchiridion juris eccles.* § 113.

tur (1). Inde profecto tot tamque diversæ etiam inter auctores, quorum animus ceteroquin Pontificio Primatui minime hostilis est, explicandi conciliandique

(1) Illi Textus sunt : *a*) Math. XVI, 18, 19, *Tu es Petrus.* — Luc. XXII, 32. *Ego autem rogavi pro te.* — Joan. XXI, 15-17, *Pasce oves meas.* — *b*) Math. XVIII, 18, *Quæcumque alligaveritis.* — Joan. XX, 21-23, *Sicut misit me pater.* — Matth. XXVIII, 18-20, *Euntes ergo docete.* — I. Timoth. III, 15, *Quæ est Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.* — Galat. II, 7, 8, *Qui operatus est Petro in Apostolatum,* — Ephes. II, 20, *Superædificati super fundamentum Apostolorum.* — Ephes. IV, 11, 12. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos.* — Act. XX, 28, *Attendite vobis.* — *c*) Luc. X, 1-18, *Post hæc autem designavit.* In his textibus recte intelligendis atque secum componendis totus vertitur cardo sistitque nodus quæstionis, quæ est de *subjecto* divinitus posito rectoriæ Ecclesiæ potestatis, et cujusque in ea portione. Namque 1) ex textibus : *Dic Ecclesiæ,* — *Quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* quidam cum Protestantibus *Democratiam* ingenue aperteque defenderunt, et ex textibus ceteris Papam et Episcopos etc. *fidelium ministros* statuerunt. — 2) Alii ex locis Scripturæ sub littera *b* supremam ultimamque jurisdictionis potestatem in fide et in regimine collegio Apostolorum et Episcoporum tribuerunt, et horum est *Aristocraticum* sive *Episcopale* vel etiam *Christocraticum* systema, quod in Constantiensi et Basiliensi synodis incepit, atque deinceps *Gallicanum, Jansenianum, Febronianum* audivit. Id ab hodierna in Germania et Austria schola defenditur. Huic systemati apud multos Democratia hic illic immiscetur. In hoc systemate Petrus ejusque successor Rom. Pontifex in illa potestate, ex textibus sub littera *a* portionem præcipuam habent, nimirum vel honoris, vigilantiæ et inspectionis, ita ut sint primi inter pares (ita Febronianistæ), — vel veræ jurisdictionis in fide et regimine quoad singulas Ecclesias, sed non absolutæ, verum conditionatæ et subditæ, ut Galli et Germani recentiores defendunt. — 3) Alii, recentiores puta Primatus defensores, ex locis sub littera *a* defendunt *Monarchiam*, sed non *meram*. Petro ut subjecto physico summam, plenam et independentem adeoque falli nesciam inde tribuunt potestatem, quam tamen eandem

viæ initæ ; pugnantia etiam non raro ab ipsis admissa ; aut loquendi modi adhibiti, qui vel Democratiam, vel puram Aristocratiam sapiunt, adeo ut dici queat, præter adversarios Primatus, etiam alios bene multos in sensu suo hic abundasse, spiritu licet ab illis diverso (1).

---

etiam ceteris Apostolis cum Petro conjunctis ut subjecto morali ex textibus sub littera *b* concedunt. Et horum systema inter duo extrema *medium* est. — 4) Tandem antiquorum Doctorum, et aliorum etiam diu post Trid. concilium systema id fuit, quod cunctam rectoriam potestatem textibus sub littera *a* a *Christo* collatam asseruit, nullam vero textibus sub littera *b*. Hoc systema apud recentiores Germaniæ Canonistas sub nomine *systematis Papalis* venit. Num hoc sacræ Traditionis atque divini Ecclesiæ Fundatoris systema sit, proindeque ceteris omnibus anteferendum, operæ pretium est, ut inquiratur ; non tamen hujus loci. Consule Frey, *Kritischer Commentar iiber das Kirchenrecht.* II Th. § 21, seqq. — Walter, *Lehrbuch des Kirchenrechts*, § 123, ed. 1836.

(1) Obiter hic quædam animadvertam de sequenti propositione, quæ post concilium *Constantiense* et *Basiliense* apud auctores passim occurrit, scilicet : *Concilium generale sive corpus Episcoporum cum Papa congregatum representare Ecclesiam universalem.* Sed quomodo ? quæri potest. An 1° quia regit docetque Ecclesiam discentem, atque ita ratione auctoritatis suæ ? Bene. — An 2° hoc sensu : quia concilium generale *est* Ecclesia docens et regens ? Rursus bene. — An 3° quia Ecclesia congregata repræsentat (ex delegatione, ita Sauter, *Fundam. J. E. cathol.* t. I, § 103. vel auctoritative) Ecclesiam docentem et regentem dispersam ? Verum utrumque erroneum esse, perspicuum est. — An 4° Concilium generale sive corpus Episcoporum in unum congregatum representat (delegatione) Ecclesiam universalem, hoc est, fidelium cœtum ? At hoc esse democraticum quivis videt. Democraticus quoque sensus subest, aut saltem ineptus, si, supposita nimirum prædictæ propositioni probandi vi, ita, uti sæpius factum est, quis argumentaretur : *Corpus Episcoporum (etiam sine Papa) congregatum in unum representat Ecclesiam universalem, non autem Papa ; ergo*

§ 18.

Definitio œcumenici concilii Florentini (1439), *unde jurisdictionis Primatus dogma fidei constituitur. — Decretum concilii Lateranensis IV* (1215), *et Lugdunensis II* (1274). — *Pius VI.* (1781). —

1. Quam laudatis supra ex Evangelio textibus interpretationem dedimus, certa ea immotaque ex Ecclesiæ declaratione et definitione efficitur; imprimis ex decreto œcumenici concilii Florentini, quod consentientibus Græcis et Latinis editum est hisce præclarissimis verbis: « Definimus, Sanctam, Apostolicam » Sedem, et Romanum Pontificem in universum or- » bem tenere Primatum, et ipsum Romanum Ponti- » ficem successorem esse beati Petri Principis Apos- » tolorum, et verum Christi vicarium, totiusque » Ecclesiæ caput et omnium Christianorum Patrem, » ac Doctorem existere et ipsi in B. Petro pascendi, » regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a » Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem » traditam esse, quem ad modum etiam in gestis » œcumenicorum Conciliorum, et in Sacris Canoni-

---

est supra Papam : anne innuitur ita plus delegatum esse ab Ecclesia collectis Episcopis, quam Papæ, quem proinde in hypothesi hac jure statuunt adversarii provisoria tantum gaudere subditaqae potestate in particulares Ecclesias; summa vero Episcopos collectos in Ecclesiam universalem. — Similia dicito de hac simili propositione : *Papa representat Ecclesiam ut unam.* Hæc locutio imprimis invaluit post ea quæ S. Augustinus de representatione unitatis improprie, sed ex adjunctis vere dixit. Ex his facile intelligitur caute admodum illis propositionibus post Richerii et cetèrorum democraticorum errorem utendum esse.

» bus continetur (1). » Qui itaque adserit, 1° Rom. Pontificem non esse successorem B. Petri; 2° ipsum non tenere in universum orbem sive in universalem

(1) Apud Labb. *Collect. concilior.* tom. XIII, col. 515, edit. Paris. — Florentinum concilium non fuisse legitimum atque œcumenicum, nemo sobrius dixerit; verum cum hujus concilii decreto tam perspicue, tamque diserte constituatur Primatus rectoria potestas summa, independens, plena et universalis, ejus adversarii in graves conjecti angustias fuere; ideoque ut vim ejusdem decreti declinarent, nihil non sunt moliti, (scil. Petrus De Marca, et qui eum hic exscribunt, Natalis Alexander, Maimburgus, pseudo Bossuetius, Febronius, Curaltius, Pereira et Germaniæ Canonistæ recentiores), ut ex græca littera, atque Blondi, qui Eugenio IV a Secretis fuerat, aliorumque minus accuratis versionibus et editionibus persuaderent, legendum esse, non ut vertit Bartholomæus Abramus Cretensis cum aliis : *quemadmodum* ETIAM, sed : *juxta eum modum, qui* ET *in gestis conciliorum et canonibus* ⸢*continetur*⸣, quoniam in Græco habetur : *καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι* ⸢*διαλαμβάνεται*⸣. Proindeque potestatem Pontificiam vi eorumdem verborum Florentinæ definitionis subjectam limitatamque esse canonibus conciliorum. Verum 1° græca ex latinis, non autem ex græcis latina explicanda sunt, quum græcus textus latini versio sit, non contra; ac insuper constat græcæ particulæ *καὶ* eam adhiberi interpretationem posse, quæ latinæ *et* nonnumquam ab egregiis latinitatis scriptoribus pro *etiam* usurpatæ. Sed 2° quid grammaticas ambages persequimur? Quid etiam editionibus opus est? cum originalia Florentini decreti exempla etiamnum supersint, autographis Eugenii ac Michaelis Imperatoris subscriptionibus munita, quæ verba a nobis exhibita vindicant, illa vero editionis a. 1526 ignorant, ita ut dubitari omnino non possit, quin illud *etiam* a concilio ipso prodierit. Quinque ejusdem autographa exemplaria P. Thomas Mamachius numerat in *Dissertatione quam de hoc concilii Florentini loco scripsit* atque in Orsii adversus Bossuetium *Commentarios* intulit, lib. VI, *De Rom. Pontificis auctoritate*, c. XI, art. unico; sextum exem-

Ecclesiam Primatum, sed tantum in particulares ecclesias, ipsum non esse *totius* Ecclesiæ Caput, sed particularium ecclesiarum tantum; 3° ipsum *omnium*

---

plar addit Ballerinius, *De potest. eccl.* p. 59, ex celeberrimi Marchionis Maffei *Historia diplomatica* lib. I, p. 87, quod in archivo publico Bononiensi custoditur. Præterea 3° etiamsi exemplaria hæc deessent, atque ex scriptorum auctoritate dijudicanda res esset, quanta Blondi, (ceteros enim prætereo qui recentiores sunt, atque ab eo decepti videntur), esse hac in re auctoritas potest, si cum S. Antonino et Cardinali de Turrecremata conferatur? uterque enim ipsi Concilio Florentino interfuit; Turrecremata autem in *Commentario*, quo hocce decretum explanavit, non solum ea verba : *Quemadmodum etiam*, uti S. Antoninus refert, sed etiam, qui illorum sensus sit, nos edocet in *Appar. super decret. union. Græcor. Florent.* « *Item definimus Apostoli-* » *cam Sedem et Rom. Pontificem*, etc. dividitur in duas partes : » in prima ponitur definitio ipsius articuli; in secunda inducitur » confirmatio ex gestis universalium conciliorum et sacrorum ca- » nonum reverentia. » Neque id Turrecremata ex privata sui ipsius sententia. Nam ex actis concilii discimus (Sess. XXV), Græcos in id omni studio enisos fuisse, ut aliquis modus Pontificiæ auctoritati in decreto poneretur, Cardinales tamen firmite reis obstitisse, Dominicanorum præterea provincialem, qui pro Latinis rem strenue agebat, demonstrasse, *plenam* nec ulla temperatam, circumscriptione potestatem fuisse Petro traditam quoad omnes casus indefinite, et universaliter, cum dixit Christus (Matth. XVI), *Tibi dabo claves et quodcumque ligaveris*, etc. — An etiam in tanta Græcorum cum Latinis concertatione vel suspicari licet, Græcos tam rudi fuisse simplicitate, ut (quod tamen Pereira asserit, *De potestate Episcopor.* Princip. VI, n. 14, pag. 89), eousque sibi imponi passi sint, ut Concilium aliud in græco et contrarium in latino textu nemine animadvertente impune posuerit? — Consentientibus itaque Græcis *plena* definita fuit Pontificis potestas, idque ex gestis conciliorum et SS. Canonibus confirmatum. — « Quamquam 4°, ut » recte monuit Ballerinius, loc. cit. etiamsi recipienda esset lectio » editionis 1526 *juxta eum modum* etc. nihil nos turbaret, offen-

Christianorum i. e. simplicium fidelium et Episcoporum congregatorum vel dispersorum Doctorem non existere; 4° qui affirmaret, Rom. Pontifici regendi universalem Ecclesiam *ab ipso Christo plenam* (πλήρη) potestatem non esse traditam, sed jura multa ab Ecclesia concessa, aut ab ipso Pontifice usurpata accessisse; denique postremo qui inter Sedem Apostolicam et Romanum Pontificem distingueret, in Matth. XVI, et Luc. XXII, atque Joan. XXI, in definitionem quoque Florentinam impingere certum exploratumque est (1).

» deret nihil. Quis enim negavit umquam Pontifices in pascenda, » regenda et gubernanda universali Christi Ecclesia debere adhib- » ere modum contentum in sacris canonibus, quos abs se quoque » sequendos ipsi Pontifices professi sunt? Nulla in hoc quæstio, » sicut et nulla ex hujusmodi professionibus Pontificum... Tota » autem quæstio est, num id debeant jure ipsorum canonum, et » eorum quidem canonum, quibus adsensus Pontificum defuit, » ac si juri ipsorum coactivo subsint, an vero altiori illo divino » ac naturali jure, quod sine præjudicio supremæ auctoritatis » obligat. » Cfr. præter citatos auctores Gerdil, opp. tom. XI, p. 145. — Zaccaria, *Antifebronius Italicus*, tom. I, p. 118. — Imprimis *Antifebronius vindicatus*, part. II, diss. IV, c. III, n. VII. —Et egregius libellus inscriptus: *Remarques d'un Théologien sur le Traité historique de l'établissement et des prérogatives de l'Eglise de Rome et de ses Evéques*, par M. Maimbourg, Cologne 1688, c. IV, p. 30, seqq.

(1) En quæ præclarum Florentinum concilium ad rem nostram præstitit, ut dubium omne solveret, quod adversarii ex Aristocraticis vel potius Democraticis duobus conciliis movent, *Constantiensi* nempe et *Basiliensi*. — Non itaque, ut adversarii volunt per Constantiense et Basiliense concilia modificandum est explicandumque Florentinum; sed per hoc illa hic omnino rejicienda. — In explananda Florentina hac definitione de R. Pontificis Primatu

2. Quod Florentinum statuerat, id jam antea decreverant generalia concilia Lateranense IV et Lugdunense II, quorum prius (1), « Sacra universali synodo approbante sancivit, ut post Rom. Ecclesiam, quæ *disponente Domino* super *omnes* alias *ordinariæ* potestatis obtinet Principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et Magistra etc. » — Et posterius (2), quod Græcos, priusquam eos ad communionem Ecclesiæ admitteret, huic fidei professioni subscribere jussit : « *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum Primatum et Principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet :* quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, *cum potestatis plenitudine* recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere : sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare, et in omnibus caussis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest judicium recurri : et eidem omnes

---

jurisdictionis in universalem Ecclesiam, etiam collective sumptam, et de Primatu in caussis fidei omnium diligentissime versatus est Cl. Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontificis.*, tom. II, et in opusc. *L'infaillibilité*, II^e^ part., pag. 175.

(1) Labb. *Collect. concil.* ed. Paris. tom. XI, part. I, col. 153. — Adversariorum vana effugia ab hujus tam perspicui decreti auctoritate refutata videsis apud Devoti, Op. M. tom. I, c. V, p. 66, not. 4.

(2) Apud Labb. *Ibid.* col. 966.

» Ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarum prælati obedientiam
» et reverentiam sibi dant. *Ad hanc autem sic potes-*
» *tatis plenitudo consistit, quod Ecclesias ceteras ad*
» *sollicitudinis partes admittit :* quarum multas, et
» patriarchales præcipue, diversis privilegiis eadem
» Romana Ecclesia honoravit, sua tamen reservata
» prærogativa, tum in generalibus conciliis, tum in
» aliquibus aliis semper salva. »

3. Quæ quum ita sint jure merito hanc quasi primam nostræ hujus dissertationis partem hisce præclaris Pii PP. VI verbis concludimus (1) : « *a*) Super soliditate petræ
» fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari
» Christi munere præ ceteris electum, qui vicaria po-
» testate apostolici chori princeps existeret, totiusque
» adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque
» orbe ligandi, ac solvendi summam curam, aucto-
» ritatemque in successores omni ævo propagandam
» susciperet, *dogma catholicum esse*, quod ore Christi
» acceptum, perenni Patrum prædicatione traditum
» ac defensum, Ecclesia universa omni ætate sanctis-
» sime retinuit, sæpiusque adversus novatorum er-
» rores Summorum Pontificum, concliorumque de-
» cretis confirmavit. — *b*) In hoc Apostolicæ cathedræ
» Principatu firmum voluisse Christum, constrictum-
» que teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per
» universum mundum propaganda, ex membris quan-
» tumcumque dissitis, mutua omnium in uno capite
» consociatione in unam corporis compagem coales-

(1) In Brevi, *Super soliditate*, 28 Nov. 1786, adv. Eybelium. Hæ litteræ gravitatis et veritatis plenæ sunt.

» ceret, fieretque adeo, ut hujus vis potestatis non
» tantum ad primæ Sedis amplitudinem, sed et
» maxime ad corporis totius integritatem, incolumi-
» tatemque valeret. — *c*) Minime proinde mirum
» (esse) quotquot omnibus retro sæculis extitere, qui-
» bus antiquus humanis generis hostis hostile suum
» in Ecclesiam odium infudit, in hanc primam Se-
» dem irruere consuevisse, qua unitatis firmitas con-
» tinetur ut disjecto, si fieri posset, fundamento ac di-
» rempta Ecclesiarum cum Capite conjunctione, qua
» potissimum nituntur, vigent ac efflorescunt, ipsam-
» met Ecclesiam, fractis viribus misere afflictam, ac
» dilaceratam, libertate spoliarent, qua Christus eam
» donavit, indignæque servituti addicerent. »

CAPUT IV.

PONTIFICII PRIMATUS FINIS, QUEM CHRISTUS SIBI IN CONSTITUENDO PETRUM TOTIUS ECCLESIÆ SUÆ SUMMUM RECTOREM POTISSIMUM PROPOSUIT.

ARGUMENTUM.

§ 19. Primatus *Petro* datus, non sui quidem gratia, sed ob commune Ecclesiæ bonum, ideoque *perpetuus* ipse, sicut ipsa Ecclesia *perpetua est*.

§ 20. Commune Ecclesiæ bonum in *unitate* consistit, imprimis *fidei*, deinde mutuæ *caritatis*. Hanc igitur procurandi conservandique, quemadmodum munus, ita et vim habeat oportet supremus Ecclesiæ rector. — Inde unitas *obedientiæ*.

§ 19.

Caussa, ob quam Ecclesiæ Primatus a Christo Petro fuit collatus, commune Ecclesiæ bonum fuit, non autem Petri gratia tantum. Ideoque primatus perpetuus est, sicut ipsa Ecclesia perpetua.

1. Duplex instituti in Petro Primatus caussa intelligi potest, quæ utraque caussa, ne ullus sit errori locus, accurate ac diligenter distinguenda est: *caussa* nempe ipsius Primatus in Ecclesia instituti, et *caussa*, propter quam Petro potius, quam alteri ex Apostolis tributus est. Quævis hæc fuerit caussa, quæ ita Christum Dominum impulerit, ut uni Petro id honoris detulerit, profecto nihil officit institutioni ac naturæ ipsius Primatus. De ea non una est Patrum sententia; quare de ea quoque nihil est, ut soliciti simus. Satis

nobis est, uni Petro fuisse in Ecclesiæ bonum Primatum a Christo collatum, qui, cum Ecclesia, ob quam est institutus, *perpetua* sit, *perpetuus* quoque ipse esse debet, atque mortuo Petro, neutiquam interire.

2. *Caussa ipsius Primatus* a Christo in Ecclesia in perpetuum instituti finisque, quis sit, in sacro quidem fundationis Ecclesiæ codice scripto, sive in textibus supra allatis no n declaratur; SS. vero Patres volentes sibi aliisque rationem reddere tam amplæ illius regendi potestatis, eum nobis, ratione sua id adsequuti, communibus suffragiis aperuerunt. Juxta ipsos omnes Primatus in Ecclesia instituendi caussas complectitur Ecclesiæ bonum, sive unitas (§ 12). Ex quo fine rite recteque intellecto ipsi vim quoque Primatus, modo S. Scripturæ consentaneo debite monstrarunt, quippe quæ rationi ejus instituendi congruens et consentanea esse debuit ex eo quod Deum nemini officium commisisse unquam, quin facultates ad illud exequendum idoneas eidem largiretur, exploratum sit.

§ 20.

Commune Ecclesiæ bonum in unitate consistit, imprimis fidei deinde communionis. Hanc igitur procurandi conservandique summus Ecclesiæ rector vim habeat, quemadmodum munus, oportet. Inde unitas obedientiæ.

Ecclesiæ Christi, quæ positiva voluntariaque societas est, bonum omne consistit in perfecta divini fundatoris sui voluntatis munerisque sibi ab eo impositi

adimpletione, ut ita eum quó ducitur, finem adsequatur, æternam inquam beatitatem. Voluit autem Christus officiumque Ecclesiæ imposuit, ut, licet toto orbe perpetuo diffusa esse deberet, tamen ipsa, vel etiam ideo, perpetuo *una* esset (§ 9). *Una* : *a*) in professione ejusdem atque solius et integræ doctrinæ, tum fidei tum morum, quam ipse ei tradidit; *una b*) uno corpore, una omnium membrorum communione et caritate (Joan. XVII, 20; Eph. IV, 13; Phil. II, 2) (1). In duabus hisce itaque unitatibus doctrinæ et caritatis Ecclesiæ bonum, quia munus, consistit. Qui alterutra caret, hæresi nempe vel schismate pollutus, is per summum malum æterna beatitate privandus (2). — Utramque illam unitatem in

(1) Illam caritatem recte explicat L. Veith, *De R. Pontif. Primatu*, sect. II, posit. XIII, § 31.

(2) Quid sit Christi Ecclesia secum hic paulisper recolat Lector. — Nonne fide, addito Baptismate, christiani fimus? Nonne christianis mutua dilectione opus? Itaque ex *doctrina* et *caritate* omnis constat Ecclesia. Unde S. Ambrosius, lib. III *Offic.* c. III, n. 19, Ecclesiam definit, « Congregationem, quæ in unum connexum » corpus atque compactum fidei et caritatis assurgit. » Hæc est Ecclesia Christi, ut corpus spectata, quæ etiam *discens* vocari potest, dummodo latissimo sensu vocabulum hoc sumatur. — Ecclesiæ ita acceptæ hæc munera sunt : 1° Christi *doctrinam* integram profiteri, tum fidei tum morum, ejusque mandata observare (Matth. XXVIII, 19); 2° mutua *dilectione* et communione sese prosequi. — Verum cum Christus, ut schismatis tolleretur occasio atque pura servaretur doctrina, capite constituto, duobus illis officiis consulere voluerit, inde quoque novæ inter Ecclesiam qua corpus, et constitutum suum caput relationes ortæ, novumque cum hoc capite rectoreque suo communionis sive obedientiæ ipsi debitæ munus impositum. Atque tribus sic omnis constabit Ecclesia :

Ecclesia conservandi et procurandi munus Petro imposuit Christus, dum eum et fundamentum Ecclesiæ suæ voluit esse et fratrum in fide confirmatorem, atque plena potestate regendi præditum pastorem, sive dum Petro et depositum fidei conservandi et regimen Ecclesiæ peragendi jussit esse officium (Cf. c. III). — Quod si igitur verum est, quod est ab omnibus Publicistis admissum, atque a sana ratione dictatum principium, ex præstituto fine atque imposita obligatione, sequi potestatem his consentaneam, pro-

---

Doctrina, Caritate, Rectore. Inde *Unitas doctrinæ*, per quam unitas mentium, — *Unitas caritatis*, per quam unitas cordium, — *Unitas rectoris summi*, per quam unitas regiminis. — *Doctrinæ*, quæ est vel credendorum vel agendorum, conservatio et interpretatio falli nescia ad rectorem curatoremque Ecclesiæ spectat, qui ceteros omnes, ut eidem secum fidei interno consensu adhæreant, cogere potest. — Ad eundem quoque spectat ejusdem doctrinæ, et ita Ecclesiæ, propagatio. Hinc ab eo missio sive potestas prædicandi iis necessaria, qui id munus peragunt. — Pro conservatione fidei condere quoque ipse potest leges, quæ ab hæresi removeant, etc. — Ad id judices fidei inferiores constituere etc. Cetera tandem media adhibere, quæ ad hoc necessaria vel utilia sunt v. g. convocare concilia vel generalia vel particularia. — *Pro unitate caritatis* eadem media adhibere potest et adhibendi jus habet. Ita castos sanctosque in fidelibus mores legibus curare, inde caritatem mutuam fovere, a schismatibus avertere, sicque ad unitatem fidei conducere, ac denique ad æternam beatitatem. — Ita quoque vigilare pro mediis sanctitatis, quæ sacramenta sunt : ut nempe iis debite fideles utantur, ipsisque ea debite largiantur ii, qui ordinis potestate insigniti sunt; quam proinde potestatem quoad usum sibi subditam habere debet, etc. Immensi essemus, si hic omnem Ecclesiæ œconomiam, quæ simplicissime concipi potest, summique rectoris jura, ut Ecclesiæ salutem procuret, evolvere vellemus.

fecto perspicuum est, Petro competere : *a*) *quoad doctrinam*, jus et potestatem eam interpretandi, ceteris proponendi, eosque sibi ut assensu etiam interiori adhæreant, cogendi. Quorsum enim secus spectarent munus et potestas concessa, in ceteris doctrinæ integritatem atque unitatem curandi, si ipsi impune dissidere possent, atque ad eandem fidem minime cogi; — *b*) *quoad mores* et *fidelium caritatem mutuam sive communionem*, jus et potestatem, id omne ita pro diversis temporum adjunctis moderandi, prouti sibi in diversis illis circumstantiis optimum visum fuerit, atque a peccatis magis remotum, sicque Ecclesiæ bono tum fidei tum morali consultius. Quæcumque ipse in his omnibus ex imposito a Christo munere fecerit, ceteri ex addita ab eodem Christo illi muneri potestate eidem obedire debent et adhærere, nolentes vero, ut obediant, sunt cogendi. Et hæc est quam *obedientiæ* communionem cum capite vocamus. Facile jam quisque videt, hoc modo omnem rectoriam Petri potestatem, et quæ ab hac profiscitur, totam disciplinam atque Ecclesiæ politiam regimenque *interne* quidem referri ad morum fidelium sanctitatem eorumque dilectionem mutuam, et simul, (quemadmodum hanc quoque communionis unitatem), ad fidei conservationem et unitatem; *externe* autem in Ecclesiæ conservationem, propagationem juriumque defensionem versari.

Esse primatum propter Ecclesiæ bonum sive fidei et communionis unitatem institutum, nobiscum dicunt Gallicani, Febroniani atque Christocratici in Germania et Austria Canonistæ; sed quum diverse a

nobis *illam unitatem* intelligant, etiam alia, quam nos, circa eam procurandam Petro jura concedunt; adeo ut v. g. vel unitatem repræsentandi, vel eam provisorie procurandi nonnisi honorem in ipso vel jus admittant. Verum de his mox uberius. — Unum præterire non possum, quin hic animadvertam, scil. ex admisso ab adversariis fine Primatus, qui unitas fidei et communionis est, veluti argumento *ad hominem*, atque ex absurdis, quæ inde sequerentur, nisi hic finis potestasque fini consentanea rite recteque intelligerentur, adversus ipsos, prouti id præclarissimi viri præstitere (1), valide procedi posse ad probandam plenam summamque atque simul independentem Pontificis in fide regimineque auctoritatem. Validius tamen si, meo quidem judicio, tota vis probandi ponatur in textibus S. Scripturæ cap. III allatis, et in eorum ab Ecclesia facta declaratione. His Primatus jurisdictionis totus quantus in Ecclesia est, plenus, supremus, independens et ab ipso Christo Petro conceditur et qualis sit a Christo concessus, ab Ecclesia definitur. Ex his, non vero ex fine, quem nullibi Christus expresse indicavit, quique a variis varius pro suo uniuscujusque systemate intelligitur, Primatus mensura petenda, quæ ibidem alia non est, quam *potestatis plenitudo*.

---

(1) Inter ceteros hic eminet cl. P. Ballerinius, *De vi ac ratione Primatus*, c. IX, seqq.

CAPUT V.

PRÆCIPUA PRIMATUS ATTRIBUTA.

ARGUMENTUM.

§ 21. Ratio hic tractandorum et scopus. — Recentiorum Canonistarum systemati opponuntur tres præcipuæ proprietates Primatus.

§ 22. A) *Potestas plena.* — *Fundamentum* adversi systematis quoad singula Primatus jura. — *Criterium.* — Jurium Primatus *famosa divisio* eorumque *recensio.*

§ 23. Adversariorum systema ejusque criterium Primatui injuriosum — Scripturæ et Ecclesiæ definitioni oppositum. — *Plena* Primatus potestas cum ejus exercitio ab ipsis confunditur.

§ 24. Adversariorum systematis *fundamentum* sive *axioma* de fine Primatus refellitur : maxime *quoad disciplinam.*

§ 25. B) *Potestas suprema.* — Ex adverso systemate non est absolute suprema, sed *provisoria;* — inde errori obnoxia et collegio Episcoporum inferior; — hinc ad vim absolutam necessarius Ecclesiæ consensus.

§ 26. Primatus potestas se sola summa est, — præterea ob unitatem. maxime fidei, instituta fuit, vimque cogendi omnes habet; ergo falli nescia sit oportet, etiam ante Ecclesiæ assensum — secus incommoda maxima.

§ 27. Præterea contraria opinio de necessaria Ecclesiæ ad vim absolutam Pontific. definitionum acceptatione ad scepticismum in religione ducit. — Generalis concilii *conditiones.*

§ 28. Adversariorum difficultas adv. supremam et ultimam R. Pontificis potestatem ex qualitate judicis rectorisve *collegii* Episcoporum et *singulorum* ejus membrorum.

§ 29. R. neque singulorum Episcoporum auctoritas judicis fidei obest infallibilitati pontificiæ; nec contra hæc illi. — Recta judicii notio.

§ 30. Neque etiam obest auctoritas Episcopalis collegii. — OEcumenicorum conciliorum in Ecclesia utilitas. — Episcoporum in conciliis jus suffragii et examinis. — De novo a conciliis instituto examine circa Pontificia decreta.

§ 31. Notio generalis concilii juxta adversarios. — Item juxta recentiores Pontificiæ potestatis vindices quæ sit aut qualis esse debeat recta œcumenici concilii notio. — Inde consectaria : — convocatio, — præsidium, — confirmatio. — Concilium — ne Papa superius an contra ?

§ 32. *Quid juris* in extraordinariis casibus — 1) mortis Papæ, — 2) incerti, aut — 3) hæretici Pontificis, vel tandem — 4) violatoris canonum ?

§ 33. C) *Potestas ubique immediata et ordinaria.* — Adversariorum doctrina : Pontificio Primatui non inest nisi jus — 1) *vigilandi*, — 2) canonum observantiam *urgendi*, et — 3) Episcoporum defectus *supplendi.*

§ 34. Primatus jurisdictionis potestas plena et suprema *universalis* est, sive ubique *immediata* et *ordinaria.* — Potestas ipsa Primatus distinguenda ab ejus usu.

§ 21.

Ratio hic tractandorum et scopus. — Recentiorum in Germania et Austria Canonistarum systemati tres præcipuæ Primatus proprietates opponuntur.

Reliquum est, ut hoc capite speciatim dicamus, quas Christus *proprietates sive adfectiones præcipuas* Primatui inesse voluerit. Et licet hæc omnia jam cap. III generatim amplexi simus, ubi de Primatus institutione, natura et indole loquuti fuimus ex iis divinarum Scripturarum textibus, ex quibus profecto singula quoque Primatus attributa sive jura ejus specialia desumenda sunt, (quoniam de societate positiva et voluntaria agitur Christi, a quo omnis, et sine quo nulla in Ecclesia concessa potestas) (1), magni tamen referre

(1) Id numquam satis monitum erit, siquidem fere numquam satis ob oculos habitum fuerit ab iis, qui de hac voluntaria Christi societate et instituta in ipsa rectoria potestate scripserunt. Vellent

credimus, ut hic Primatus proprietates sive adfectiones præcipuas h. e. quæ cetera Primatus jura specialia omnia complectantur, peculiarius atque enucleatius proponantur : 1° quidem, ut Primatus natura et indoles, quæ in veræ proprieque cogentis jurisdictionis potestate consistit, ejusque vis ac ratio manifestius exhibeantur ; 2° vero, atque cumprimis, ut omnes noscant et quo loco habere debeant sciant recentiorum juris canonici doctorum argumentum isthoc de juribus Pontificiis pertractandi *systema* seu methodum, qua dividunt jura Rom. Pontificis in *essentialia et accidentalia*, aut insuper *controversa*. Methodum hanc, præeunte potissimum Febronio, qui hic ipse Gallicanos sequutus est, recentior schola in Germania et Austria sequitur (1). Hi canonistæ ita pon-

---

plerique recentiores, in Germania præsertim, eam a ratione et ratiociniis constituere, et textibus, quos non intelligunt, et factis, quæ non capiunt, temperare, aut potius suo lubitu componere.

(1) Cf. § 9. — Præ ceteris hic nominandi : A. Michl, *Kirchenrecht für Katholiken und Protestanten* § 33, — F. G. A. Gambsjäger, *Jus ecclesiasticum.* § 55 — 68, — Georg. Rechberger, *Enchiridion juris ecclesiastici Austriaci*, tom. I, § 119 — 161, — F. A. Frey, *Kritischer Commentar über das Kirchenrecht*, II, Th. § 21 — 136, — P. Maur. de Schenkl, *Institutiones juris ecclesiastici cum notis Josephi Scheil*, pars I, § 225 — 246, — Nicol. Joan. Cherier, *Enchiridion juris ecclesiastici*, tom. I, § 142 — 189. — His omnibus methodus una eademque ; pro diverso tamen, quo animati fuere spiritu, alii alia inter *essentialia* vel *accidentalia* jura posuerunt. — De ipsis recte dixit Auctor operis, *Tradition de l'Eglise sur l'institution des Evêques*, p. 8 : « Par » une erreur d'esprit trop commune en ceux même que n'aveu» glent pas l'envie et la malignité, mais qui, pour n'avoir pas » pénétré assez avant dans l'antiquité ecclésiastique ni surtout

tificia jura determinant, ut numerum sic dictorum *essentialium jurium* non nisi illa ingrediantur, quæ a Romanis Pontificibus primis sex vel septem Ecclesiæ sæculis exercita fuisse doceri potest, reliqua vero, quorum usum, uti prætenditur, Rom. Pontifices primo inde ab evulgata Isidori collectione, præsertim temporis circumstantiis adjuti, suscepere, item a Metropolitanis, ac synodis provincialibus ad se pertraxere, ad classem ita nominatorum *accidentalium*, seu talium, quæ a notione Primatus auferri possint, quin et hodie cumprimis, juxta nonnullos debeant, referantur.

Jam autem adversus hos, et qui similiter sentiunt, ex textibus S. Scripturæ cap. III allatis eorumque ab Ecclesia facta expositione, fidenter contendimus, Pontificii Primatus *proprietates præcipuas* ejusmodi

---

» assez médité les principes fondamentaux du gouvernement de » l'Eglise, ne peuvent saisir et lier les nombreux rapports de ce » vaste ensemble, on est disposé à ne pas regarder comme es- » sentiels aux Pontifs romains les droits qu'ils ont communiqués à » d'autres Siéges : on voudrait retrouver dans tous les âges une » discipline rigoureusement la même ; on voudrait que le pouvoir » s'exerçât toujours d'une même façon, présentât toujours les » mêmes apparences, et l'on hésite à le reconnaître sous les dif- » férentes formes qu'il revêt, et à travers les voiles dont il semble » quelquefois s'envelopper. Alors, aux yeux de l'ignorance ou » de la mauvaise foi, toutes les exceptions deviennent des règles, » toutes les concessions des droits, qui se mêlent, se croisent, se » combattent les uns les autres : l'autorité est partout, la dé- » pendance nulle part : l'ordre, l'unité, la paix, perpétuelle- » ment froissés entre des prétentions irréconciliables, s'évanouis- » sent, et font place à l'anarchie des systèmes et aux séditieuses » entreprises de l'ambition mère des schismes. »

esse, ut ipse Primatus 1° potestas sit regendi *plena*, ita ut nihil ei præter jus divinum et naturale stricte sumptum obstaculo esse possit, quin sese valide, et si prudentia adsit, etiam licite in Ecclesiam exserat; ut 2° potestas sit tum in fide, tum in regimine *suprema et ultima* et nulli in his terris potestati, ne Ecclesiæ quidem in generale concilium coactæ, obnoxia, ideoque etiam falli nescia; et 3° ut potestas sit in omnibus et singulis Ecclesiis, hoc est, in universali Ecclesia *immediata*, quoscumque totius orbis christiani fideles, suis licet Episcopis subjectos, proxime et immediate adficiens, quemadmodum ipsos Episcopos et ceteros Ecclesiæ rectores alios. Quibus peractis, de reliquis, quæ peculiaria sunt, Primatus juribus disserendo supersedere nos posse arbitramur. Sit itaque de plenitudine Primatus

SECTIO I.

RECTORIA PRIMATUS POTESTAS PLENA EST.

§ 22.

Fundamentum proponitur systematis adversariorum in statuendis singularibus Pontificii Primatus juribus. — Eorum criterium, juxta quod jurium Primatus divisio ab ipsis fit, atque recensio.

1. Systematis eorum, adversus quos nos hic agimus, de statuendis particularibus Rom. Pontificis juribus, a Gallicanis assumptum Just. Febronius hoc

posuit fundamentum dicens (1) : « Cum genuinum » fundamentum ejusdem Primatus *in bono unitatis* » *Ecclesiæ* invenerimus, hinc pro principio statuemus, » *omnia illa et sola esse primogenia , et essentialia* » *jura Primatus , sine quibus unitas non potest* » *servari.* Quia autem in applicatione hujus regulæ facile affectibus indulgeri posset , aliis eam ad superfluum dominatum extendere , aliis illam cum præjudicio nimis coarctare volentibus ; hinc ut in re tam gravi , et justum Ecclesiæ regimen pertinente, æqua ponatur ratio , certius aliud et prudentius, ad tollendas quascumque enascituras difficultates ac dubia non supererit medium , quam ut circa singulas sæpe fati Primatus partes ejusque jura consulamus *constantem usum et disciplinam Ecclesiæ*, non quidem qualis fuit , postquam falsi canones plurima in jure publico ecclesiastico corruperant , sed *qualem primis sex vel septem sæculis cum* maximo Ecclesiæ bono et unitatis (post heu nimium ruptæ , et , prout nunc res sunt, ægre restaurandæ) conservatione viguisse ex scriptis Patrum , actis conciliorum , ipsorumque Rom. Pontificum gestis evincitur. »

2. Illo Febronii principio, puta : *illa esse Primatui divinitus adnexa jura , sine quibus Ecclesiæ unitas servari non potest* , admisso, Canonistæ Germani jura ad illam unitatem necessaria specifice determinaturi , ultro cum ipso statuunt *criterium* cognoscendi singularia jura Primatus ex *usu et observantia* primi-

(1) *De statu Ecclesiæ* , c. II , § 4.

tivæ Ecclesiæ, tamquam fidelissimæ canonum interpretis, depromendum venire. Quoniam non sufficit, aiunt, unitatem, quæ (varie pro variis systematibus intelligi potest) (1), in certum cum Febronio dijudicandorum singulorum Primatus jurium characterem assumere, nisi simul, quid quantumque conceptus unitatis involvat, et postulet criterio quodam doceatur. Quod ut præstarent, unitatem, quæ primis sex vel septem sæculis in Ecclesia observata fuit in fide et disciplina, pro *norma* statuerunt, et jura, quæ per id temporis Rom. Pontifices ad unitatem in Ecclesia procurandam conservandamque exercuerunt, uti Primatus jura *primigenia* habuere (2).

---

(1) Ita v. g, pro diverso illo hujus unitatis conceptu R. Pontifici ad eam unitatem Ecclesiæ in fide et communione conservandam et efformandam conceduntur jura : vel *absoluta* et in his terris illimitata a defensoribus scil. primatus, — vel *conditionata* et limitata sive provisoria tantum, ab Aristocraticis nempe, Christocraticis sive Episcopalis systematis fautoribus, vel etiam, (uti inter hos cum Febronio nonnullis placet), jura tantum *honoris* et *directorii*, omni proprie dicta jurisdictione, etiam provisoria, exclusa.

(2) Ita *Schenckl*, § 226, *Gambsjäger* § 56. — *Rechberger*, § 119, — *Cherier*, § 142, — *Frey*, § 31, 62. Hic cum aliis *adventitia* jura in *recepta* aut *controversa* dividit § 112. — Etiam Cl. Vinc. Lupoli, *Juris eccl. prælectiones*, tom. II, c. II, §§ 39 et 40, edit. Bassani 1787, ut non incommodam admittit similem jurium Romanæ Sedis divisionem, scilicet : in *primaria*, seu *immanentia*, et *secundaria*, seu *transeuntia* ; verum sensu a citt. Auctoribus prorsus diverso, namque per *primaria*, seu *immanentia* intelligit ipse « jura Primatus ipsi innata, nulli alteri communicanda, quam Rom. Pontifici, adeo ut nulla temporum aut disciplinæ mutatione mutari possint; per *secundaria* vero, seu *transeuntia*

3. Inde profecta illorum famosa jurium Primatus *divisio* in duas classes : quarum prior complectitur *jura essentialia et primigenia*, *divina*, *necessaria*, verbo, *jura proprie Primatus*. — *essentialia* vocantur et *primigenia*, quoniam primis sex vel septem Ecclesiæ sæculis a Rom. Pontificibus exercita fuisse, probari potest, atque cum natura fineque Primatus, qui in conservanda Ecclesiæ unitate situs est, intime conjuncta sunt, eoque necessario referuntur ; — *divina* : quippe quæ Christus ipse concessit ; — *necessaria*, quia sine iis obtineri Primatus finis nequit. — Altera classis continet *jura secundaria*, *accessoria*, *humana* (sive humano instituto comparata), *adventitia*, ideo sic dicta, quoniam salvo Primatu abesse vel adesse possunt ; quæ quondam Episcopis, Metropolitis, conciliis provincialibus communia fuerunt, sequentibus tamen temporibus, ex caussis cum natura et fine Primatus nullum nexum habentibus, Rom. Pontificibus adhæserunt, et quæ proinde ad naturam notionemque Primatus non pertinent (1).—

---

intelligit, quæ innixa Primatui sunt, ut proinde a Pontificibus sibi potissimum potuerint vindicari ; non autem adeo insita, ut propterea sine injuria, pro disciplinæ et temporum varietate, quadam saltem ratione, a ceteris Ecclesiæ Prælatis potuerint exerceri. »

(1) Auctor anonymus operis : *Schreiben eines katholischen Geistlichen an den Verfasser des Buches : die katholische Kirche Schlesiens*, Sulzbach 1827, pag. 9, 10, singulare et hæreticum criterium statuit, dum contendit : initio instituti Primatus nec collatam fuisse nec conferri potuisse Primati Ecclesiæ auctoritatem, quæ pro omni tempore valeret sufficeretque ; verum qualibet temporis periodo illum potestatis gradum illaque jura a Primate exer-

Caussas incrementorum Pontificiæ potestatis sive ejusdem jurium *adventitiorum* cum aliis profert Rechberger has uti præcipuas : quoniam nimirum « 1) Antiquitus, » Episcopus Romanus tamquam *Patriarcha* occiden- » talis, vel magnæ ejusdem partis, prout ex can. 6. » concil. Nicæni, et can. 28. conc. Chalcedonensis » apparet, singularibus utebatur juribus, quæ dein- » ceps cum juribus Primatus permiscebantur ; 2) Epis- » copi sæpe numero sponte sua, cum negotium vide- » batur dubium, a Romanis Pontificibus consilium » petebant. Unde factum est, ut caussæ majores de » quibus ralationes hujusmodi frequentiores erant, » sensim Rom. Pontifici reservarentur ; 3) in litteris » decretalibus ab Isidoro confictis et a Gratiano in » decretum relatis omnia majoris momenti negotia Sedi » Pontificiæ reservantur, appellationum ad Rom. cu- » riam liberrima datur facultas, concilia provincialia » absque permissu et confirmatione summi Pontificis » habita invalida declarantur, et ut verbo dicam prin- » cipium Monarchiæ Pontificæ absolutæ undequaque » prædicatur ; 4) cum concilia provincialia indies ma-

---

cenda esse, quibus illum fideles, pro bono Ecclesiæ, exornandum investiendumque existimarent. Sed hoc principium vel eo convellitur, quod positivæ naturæ et notioni societatis religiosæ a Domino institutæ adversatur ; a qua certe prorsus abhorret, ut rectores Ecclesiæ et Primas a fidelibus exornentur et investiantur *illam regendi potestate*. Itaque primigenia potestatis Primatialis essentia naturaque, qualem ei Christus indidit, invariata eadem manet ; exercitium vero ejus, atque hoc dumtaxat, pro varia temporum conditione varium esse potest. (Vid. *Ephemer. theol. Dris* Benkert, *Allgemeiner religions-und Kirchenfreund*, Würzburg 1828, Octoberheft.)

» gis obsolescerent, res maximæ olim in iisdem disceptatæ et confectæRomam deinceps pertrahebantur; 5) disciplina quoque ecclesiastica medio ævo penitus collapsa : ignorantia et incuria Episcoporum illius temporis, delicta deinque simoniæ et incontinentiæ, quibus tum clerus maximopere erat deditus, summis Pontificibus necessitatem, potestatemque suam magis magisque ampliarunt (1). » Etsi hæc *secundaria* jura Primatus ejusmodi juxta adversarios habuerint natales, tamen, fatentibus plerisque ex ipsorum numero, non pro lubitu avelli, (licet id absolute fieri prosset, imprimis si *major ecclesiae certaque utilitas aut necessitas juberet*), a Sede Romana queunt, aut invito Pontifici auferri, cum sint jam quæsita jura præscriptaque, et partim expresso tacitove Ecclesiarum consensu firmata, partim pactis etiam et concordatis stabilita ; imo quoniam earum plura, synodis provincialibus cessantibus, cum quasi jure devolutionis ob Ecclesiæ utilitatem necessitatemque fuere ad primam Sedem delapsa, vix certe utiliter, nisi synodis illis restitutis, a Pontifice dimitti ne posse quidem videntur (2).

---

(1) Rechberger, tom. I. § 13, — Frey, II Th. § 62, — Cherier, § 155.

(2) Ita Schenkl, p. I, § 241, — Cherier, § 155. — Adversus Schenkl, cum ceteris, qui ingenue *febronizant* defendit Sauter, *Fundumenta juris ecclesiast. catholicorum*, p. I, § 85, *accidentalia* ea jura, invito Pontifice vel penitus tolli, vel ad modum magis convenientem reduci posse. Recentissimi quoque Germani doctores, Justini Febronii nempe sequaces, detecta jam adventitiorum jurium Primatus mendaci ac spuria origine, non parum e re præsentium Ecclesiæ adjunctorum futurum esse existimarunt, si

4. Habita sic debita notione celebris illius recentiorum Germaniæ et Austriæ Canonistarum divisionis inter jura Primatus essentialia et accidentalia, cognitis quoque illius caussis, operæ pretium facio, si, quo melius eorum systema perspectum habeatur, illa jura, præcipua saltem, nunc recensuerim. Itaque juxta ipsos — A) *Jura essentialia* Primatus sunt : I. Jus supremæ et generalis inspectionis in omnes Ecclesias pro religionis unitate et disciplinæ integritate juxta canones servanda, sive jus supremi provisorii in singulas Ecclesias regiminis ; II. Jus canonum, seu legum ecclesiasticarum vigorem tuendi

---

immensa supremi in Ecclesia Hierarchæ potestas, quæ a primitiva societatis christianæ *organisatione*, ut aiunt, multum deflexit, et spuriis adjuta præsidiis, ad summum fastigium pertigit, ad debitos limites reduceretur, et metropoliticæ potestati, cujus decremento et detrimento illa Primatialis crevit, sua jura redderentur Cf. Lerchenmüller, *Konstitutionelle Kirchenzeitung aus Bayern.* Rempten 1831, n 27, et *Theologich Quartalschrift*, Tübingen 1819 de parocho catholico F. *Hubero*, p. 102. — Longius progressi sunt illi, qui omnem cum Sede Romana nexum abrumpendum catholicis suaserunt, et principia hunc in finem proposuerunt. Ita auctor anonymus operis : *Der kathol. Kirche zweiter Theil oder Paragraphen zu einer neuen Verfassungurkunde der selben.* Altenburg 1830. — De *Emancipationis* catholicorum a jugo Rom. Pontificis necessitate multis agunt Gleich, *Der Eremit.* Altenb. 1831, et Münch, *Aletheia*, *Zeitschrift für Geschichte Staats u. Kirchenrecht.* Haag. 1831, 2. Heft, p. 106. ff, et Auctor opusculi : *Die grosse Einheit der* 127 *Antirömischen Katholiken in Dr sden*, Leipzig 1831, — Denique non pauci de excitando in Germania *patriarchatu nationali* cogitarunt, cogitantque etiamnum nonnuli. — Hæccine tandem *unitas illa debite intelligenda*, propter quam Primatum cum consentaneis juribus a Christo institutum cum Febronio dixerunt ? Usque eo Febronii famosum axioma !!

vindicandi, intra modestiæ tamen, caritatis ac mansuetudinis limites; III. Jus supplendi, si officio suo defuerint ceteri in Ecclesia prælati sacri, seu jus devolutionis supremum; exinde IV. Jus exigendi, ut cum Pontifice in iis, in quibus ipse unitatis centrum est, et quatenus est unitatis centrum, ceteræ per orbem Ecclesiæ perpetua in fide et disciplina communione *externa* jungantur, signis nempe externis obedientiæ externæ et commercii externi, et ut caussas ad universam Ecclesiam attinentes ad ipsum referant. Ex generalibus hisce juxta ipsos hæc *specialia jura* Primatus essentialia descendunt, nimirum—1. *Jus petendi* ex omnibus orbis Ecclesiis ac *recipiendi relationes de morum fideique doctrina* et de rebus *ad ecclesiasticam unitatem pertinentibus*. Febronius *jus relationum* non ex natura Primatus, sed ex consuetudine derivat et arbitrarie limitat. — 2. *Jus legatos mittendi*, suæque potestatis vicarios per provincias constituendi: utpote quod cum jure supremæ et generalis inspectionis ac sollicitudinis intime connexum et monumentis prisci ævi comprobatum est. Antonius Michl hoc jus essentiale Primatis ne nominat quidem.—3. *Jus* omnes totius orbis Episcopos, quibus simul sumptis juxta ipsos suprema et ultima Ecclesiæ inest potestas, in unum colligendi, sive *concilia œcumenica convocandi*; namque, aiunt, hæc unitati, quam imprimis curare debet Ecclesiæ primas, servandæ aut instaurandæ quandoque necessaria esse, conciliorum perhibet historia, et superiorum sæculorum docuit experientia (1).—4. *Jus œcumenicis conciliis* cum præ-

(1) *Extra ordinem*, ubi e. g Sedes Papalis vacat, aut Papa

rogativa suffragii et relationis *præsidendi*, per se vel per legatos suos, eaque rite esse celebrata declarandi, decreta eorum acceptandi, promulgandi et decretorum conciliarium observantiam adurgendi : quæ omnia, aiunt, *jus concilia confirmandi* constituunt (1). Neque enim, addunt illud eo sensu Rom. Pontifici tribui potest, quod concilium vere œcumenicum ac legitime celebratum a confirmatione demum Papali robur viresque obtineat.—5. *Jus condendi decreta provisoria* necessaria ad unitatem conservandam in rebus fidei aut morum aut in disciplina universalis Ecclesiæ. Namque ubi Ecclesia extra concilium, ut vocant, dispersa est, Primas Ecclesiæ collegium Episcoporum quodam modo repræsentat, ejusque vices gerit, cujus proinde nomine interim ea discernit, quæ ad tuendam Ecclesiæ unitatem sunt necessaria, ita tamen, ut *a*) mentem sententiamque collegii Episcoporum, adeoque traditionem universalem et canones ecclesiasticos sequatur ; *b*) ut, quæ ipse decreverit, ab universo collegio possint reformari ; *c*) ut proinde decreta ipsius nonnisi

---

synodum, Ecclesiæ tamen necessariam, præfracte congregare nollet, aut si Papa hæriticus dubiusve non posset officio fungi suo, Cardinalibus et præcipuis Ecclesiæ præsulibus, item imperanti seu Ecclesiæ *protectori* id juris haud abnuendum dicunt Rautenstrauch, *Jnst. jur. eccl.* § 137, seq, — Zalwein tom. I, q. 3, c. 2, § 2, — A. Schmidt, *Vindiciæ adv. Febron.* c. II, § 2, *Thesaur. J. E.* tom. II, p. 53, seq. —Schenkl, p. 1, § 233.

(1) Contrà Sauter, *Fundament. J. E.* p. I, § 107 sentit, eos, « qui ad concilium generale ejusmodi quoque confirmationem a » Rom. Pontifice impertiendam requirunt, obsoleta opinione » duci, ac si summa et plenitudo potestatis ecclesiasticæ, ipsaque » infallibilitas in uno Rom. Pontifice resideret. »

provisoria sint, eousque valitura, donec vel in concilio generali, vel extra illud ab Ecclesia universali aliud fuerit statutum, et tum demum fiant peremptoria, cum consensum totius collegii accessisse certo constiterit. — 6. *Jus dispensandi* in conciliorum generalium decretis, dummodo utilitas aut necessitas veniam legis exposcant. Multi tamen hoc jus negant. — 7. *Jus devolutionis supremum*, seu jus prælatos et sacros rectores ab officio devios revocandi ad illud, eorumque negligentiam vel defectus supplendi, ita tamen, ut jus devolutionis hierarchis intermediis, Metropolitis nimirum, Primatibus, et Patriarchis ex ordine hierarchico proprium, nullatenus violetur. — 8. *Jus protegendi eos* qui contra canones, quorum Primas vindex ac tutor est, ab ecclesiaticis judicibus, aliisque injuste premuntur, aut juribus exuuntur. — Inde 9. *Jus appellationes recipiendi ;* hoc tamen non pauci rejiciunt vel multum restringunt. — *B*) *Jura accidentalia seu adventitia* sunt juxta Frey, quem hic ceteri sequuntur, « —I) relata *ad religionem et cultum*, 1. jus censuræ scriptorum religionis catholicæ fidem attingentium, — 2. Jus liturgiæ universalis ordinandæ, — 3. Jus canonizationis, et beatificationis — 4. Jus ordinandi, abrogandi et mutandi dies festos, — 5. Jus jejunia universalia ordinandi, — 6. Jus a votis dispensandi, et commutandi pias fundationes, — 7. Jus indulgentias concedendi, — 8. Jus absolvendi a peccatis aut censuris reservatis. — II) relata ad *res ecclesiasticas*, 1. Jus consensus Pontificii necessarii ad alienationes bonorum ecclesiasticorum, —2. Jus decimandi, —3. Jus

annatarum et taxarum, — 4 Jus erigendi, innovandi, uniendi, dividendi, supprimendi et pensionibus onerandi beneficia. III) relata ad *personas ecclesiasticas*, 1. Jus ordines religiosos approbandi et abolendi, — 2. Jus Episcopos confirmandi et ex canonicis caussis deponendi, permittendi eorum translationes et cessiones, — 3. Jus constituendi coadjutorem, — 4. Jus juramentum exigendi, — 5. Jus exemptiones impertiendi, — 6. Jus pallii distribuendi. » — C) jura tandem *controversa* sunt 1. Jus in temporalia regum, — 2. Infallibilitas in docendo, et — 3. Summa potestas supra concilium generale.

§ 23.

Adversariorum systema de juribus Primatus vanum arbitrariumque est; Scripturæ præterea, qua Petro potestas illimitata conceditur, et Ecclesiæ definitioni, qua plena declaratur, repugnat. — Hæcce potestas ab adversariis cum ejusdem exercitio confunditur.

1. Jura Primatus divinitus instituti eodem ex fonte haurienda determinandaque esse, e quo ipsa manavit prærogativa, nemo certe umquam dubitavit; at Petro ejusque successori R. Pontifici a Christo in Evangelio rectoria potestas illimitata conceditur, sive (Matth. XVI) potestas ligandi solvendique super terram *quodcumque*; (Luc. XXII) jus et munus in fide confirmandi fratres omnes; pascendi quoque (Joan. XXI) oves et agnos absque ulla circumscriptione, absque conditione ulla. De *hac integra et plena* regendi potestate ex Traditione quoque, et cumprimis Florentina

definitione constat (c. III), qua statuitur, « Rom. » Pontifici in B. Petro pascendi, regendi, et guber- » nandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. *plenam* » potestatem traditam esse », atque de hoc insuper gesta œcumenicorum conciliorum et S. canones fidem facere. Adversariorum itaque systematis *criterium*, quod, singula primatus jura determinandi gratia, ex *usu et observantia* sex vel septem primorum Ecclesiæ sæculorum desumunt, eorumque inde *divisio* in jura essentialia et accidentalia, S. Scripturis contraria sunt et Traditioni, quibus, ut liquet, Pontificis potestas *plena* existit. Præpostere præterea adversarii hic omnia agunt, imprimis dum ipsam Primatus potestatem, integram per se et plenam a Christo institutam, cum ejus exercitio confundunt, quod moderatum, quod ad Ecclesiæ bonum (ex quo accipiat oportet potestas omnis sui mensuram exercitii), ordinatum, quod pro variis temporum adjunctis ad idem Ecclesiæ bonum varium esse debet. Et hæc nemo negaverit qui rectæ rationis dictamen consuluerit. Neutiquam inde ejusmodi nos potestatem absolutam et plenam a Christo Domino in Petro institutam defendimus, quæ arbitrarie et in detrimentum Ecclesiæ, sed quæ, ubi et quo modo Ecclesiæ bonum id postulaverit, libere sese exserere effundereque possit, ac proinde jura sua, quæ plena sunt, nunc angustius, nunc latius explicare. Exploratum itaque est, illa quoque jura, quæ Rom. Pontifices serius, postulante Ecclesiæ bono, exercere cæperunt, et quæ doctores Germani ad classem jurium accidentalium referre consueverunt, in natura et notione primatus inesse.

2. R. II° Firmissimus ipse quoque teneo Ecclesiæ catholicæ praxim, rite recteque intellectam, esse fidelissimam fallique etiam nesciam interpretem divinæ voluntatis, atque divinorum institutorum; ex eo tamen quod potestas Pontificia primis Ecclesiæ sæculis rarius, ac postea, exercerctur, aut saltem exercita fuisse legatur., nihil inde in ejusdem præjudicium prudenter inferri posse, ille facile concedet, qui secum animo recoluerit caussas illas multiplices, ob quas quædam Primatus jura olim non fuerint exercita vel ea exercita fuisse non legantur. Hujusmodi sunt, quod 1) recens adhuc eorum exstiterit, quæ ipsi Apostoli constituere memoria; rarioresque tum in plebe, tum in clero invaluerint abusus, et Episcopis regendis per se se Ecclesiis indefesso zelo incubuerint; quod 2) compressa ac quasi constricta fuerit Ecclesiæ potestas inter sævissimas ac fere continuas persequutiones; quod 3) pauca supersint ex primis Ecclesiæ sæculis monumenta; plurima temporum injuria perierint. Ulterius dicimus, etiamsi doceri non posset, vetustissimum esse quorumdam Primatus jurium exercitium, quippe quod ad temporum varia adjuncta utiliter accommodatum esse debuit, suam nihilominus ipsis ex S. Scriptura Ecclesiæque definitione certam esse virtutem. Animadvertendum hic est, illos ipsos Canonistas, qui famosam illam divisionem admisere, dum e defectu exercitii quorumdam jurium essentialium nondum ad id concludendum esse censent, ut jura hujusmodi ad substantiam Primatus neutiquam pertinere dicantur, insufficientem ostendere, aut certe ad suam divisionem haud accommodatione aptam normam,

quam pro detegendis juribus Primatus essentialibus ex observantia primorum sæculorum proposuere ; et dum præterea contendunt, quædam jura accidentalia interdum fieri posse essentialia, utique ridendos sese præbent. Systematica itaque illa Primatus jurium divisio infirmis consistit momentis ; imo arbitraria est, et in Primatus detrimentum excogitata. Nihilominus ad hodiernum usque diem a Germanis arripitur retinetur que, ab illis præsertim, quibus adversus augmentum Primatialis potestatis declamandi ejusque jurisdictionem limitandi occasio, quam memorata Febronii divisio ultro suppeditat, grata est. (1).

2. R. III°. Ad caussas tandem, quas allegant, incrementorum jurium Primatus adventitiorum, hæc pauca generatim reponam : 1) Inique adstrui, incrementum Primatialis Rom. Pontificum potestatis concessioni Ecclesiæ, Isidori decretalibus, temporum ignorantiæ, dominandi pruritui, et violentæ usurpationi summorum Pontificum tribuendum esse ; et id non difficulter intelliget, qui genuinam occasionem et temporum indigentias, quæ augustiorem jurium Primatialium explicationem necessariam reddiderunt, ex annalibus eccl. exploraverit II) Adversus eos, qui potestatem Apostolicæ Sedis ex concessione Ecclesiæ majorem exstensionem consequutam fuisse contendunt, audire hic operæ prætium est Cl. Muzzarelli ita eos ur-

« gentem(2) : Interrogo : in quo œcumenico concilio
» potestas Papæ amplificata est ? Quibus verbis hæc

(1) Cf. A. de Roskovàny, op. cit. § 49, seqq.
(2) *De auctorit. R. Pontific.* tom. I, p. 183.

» gratuita Ecclesiæ concessio , seu potius collegii
» Episcoporum , in suum caput et principem concepta
» est, pronunciata , et declarata ? Quando vel unus ex
» successoribus Petri , inter quos tot exstiterunt hu-
» militate et sanctitate insignes , hanc episcopalis col-
» legii largitionem agnovit , professus est , gratias
» egit ? Non S. Bonifacius , non S. Nicolaus , qui
» dixerant , quod Niccenum concilium *omnia noverat*
» *fuisse Petro Domini sermone concessa ; Si omnia* ,
» *ergo defuit nihil , quod non illi concesserit.* Separa
» saltem distincte et recte privilegia , quæ essentia-
» liter insunt in Primatu Pontificio ex jure divino
» a privilegiis , quæ superinduxit sponte et libere
» Ecclesia ; et rursus ista ab iis , quæ arbitrarie arri-
» puit R. Pontifex. Nisi enim hoc præbeas , continuo
» in incerto versabimur , quæ sint privilegia Apos-
» tolicæ Sedis divina et immota , quæ possint ab
» Ecclesia variari , modificari , auferri et quæ reji-
» cienda omnino sint veluti usurpativa. Interea in
» hac obscuritate inter has controversias , via facta
» erit schismaticis et hæreticis enervandi , et recu-
» sandi omne aut fere omne exercitium Apostolicæ
» potestatis , dum locus dubitandi remanet , an hoc
» vel illud jus Ecclesia concesserit , aut Pontifex usur-
» paverit , sub quibus conditionibus , aut cum qui-
» bus limitationibus Ecclesia donaverit. An tacitus
» consensus accesserit , ubi expressus non invenitur ,
» et sic pariter , an tacita Ecclesiæ revocatio præ-
» sumenda sit , quum nullibi et numquam indicetur
» expresse aut hæc gratuita concessio , aut hæc auc-
» toritativa revocatio. Mysterium magnum!» III.) Can-

tilenam de Isidori collectione, de ruditate temporum, toties refutatam incassum repeti apud omnes cordatos in confesso est (1); et certe non longa, nec artificiosa deductione opus est ad hoc, ut ostendatur jura illa quæ passim ad classem accidentalium referuntur, ante vulgatas Isidori decretales, majori ex parte a R. Pontificibus exercita fuisse, et secus etiam e natura notioneque Primatus derivari. Pariter IV) certum atque a præstantissimis inter protestantes hodie admissum est, annales Ecclesiae absque studio partium et sectæ evolutos quemlibet docere, longe alias exstitisse caussas rigoris SS. Pontificum in principes viros quam dominandi libidinem aut tyrannidem, ut prætendunt illi, qui Romanos Pontifices, eos præsertim, qui inde a S. Gregorii VII. temporibus claves Petri tenuere, de conatibus excitandi nescio cujus universalis in orbe dominatus arguunt. Gravia scelera, schismata, errores, violenta conamina, discrimen proximum Religionis ac Ecclesiæ, ipsius denique profanæ reipublicæ necessitates severitatem illam potestatis Primatialis provocaverunt.

---

(1) Præ ceteris, qui rem hanc universam egregie prosequuti sunt, legesis Fratres Ballerinios, in præclara editione *opp. S. Leonis M.* tom. III, — Blascum, *Commentarius de collectione Can. Isidori Mercatoris*, — F. A. Zaccariam, *Antifebron.* tom. II, diss. III, — Marchetti, *Critique de Fleury*, tom. I; — sed imprimis Frölich, *Quis est Petrus*, etc. pag. 403.

§ 24.

Adversariorum systematis fundamentum de fine Primatus exponitur uberius atque refellitur : maxime quoad disciplinam.

1. Pervulgatum itaque , uti vidimus, apud doctores Germaniæ et Austriæ Canonistas axioma est quodque methodo suæ de divisione et recensione jurium Primatus loco fundamenti ponunt , nimirum *Primatum propter unitatem Ecclesiæ a Christo esse institutum ;* ex quo ipsi cum Febronio inferunt , *omnia illa et sola esse primigenia et essentialia jura Primatus , sine quibus unitas non potest servari.* Huic plerique aliud , quod juxta ipsos ex præcedenti sua sponte fluit , sed oppido fallax est , sequens adjungunt : *cum Primatus propter unitatem Ecclesiæ sit , nihil Primatem posse , quod ad unitatem non sit necessarium.* Hoc axiomate , indubitato juxta ipsos certissimoque assumto , sequelas inde plurimas in recensione jurium Primatus derivant , queis totam quantam summi Pontificis potestatem aut arctissime contrahere, aut penitus enervare , irritamque facere allaborant. Namque *ex una parte,* circa doctrinam scilicet fidei morumque : cum juxta ipsos unitas doctrinæ mere externa provisorie , per longum etiam tempus , sufficere possit , fidenter inde asserunt , Papam non posse nisi *provisoria* edere decreta dogmatica, quæ ad non dogmatizandum contrarium ceteros obligent , peremptoria quidem tunc tandem futura , ubi per corporis Episcoporum accedentem consensum firmata fuerint ; *ex altera parte* , circa disciplinam : contendunt , a

Papa per generales leges statui nihil posse, et *absolute* imperari, sine consensu et acceptatione Episcorum, ad universalem et quæ ubique eadem sit, disciplinam in omnibus Ecclesiis constituendam; quoniam, aiunt, disciplina pro varia temporum et locorum ratione varia quoque esse potest. Consequitur igitur Pontificiam auctoritatem tam quoad res fidei et morum, quam et in disciplina ordinanda ferendisque de ea legibus vehementer esse præcisam, imo per se ipsam absque Episcopatu nihil amplius valere, sed sine omni efficacia esse, atque prorsus nullam.

2. Quoad disciplinam hoc loco, infra vero quoad doctrinam, respondebimus. Dicunt igitur: *Primatus est propter unitatem Ecclesiæ tantum; ergo nihil potest circa universalem Ecclesiæ disciplinam constituendam.* Quæro ab ipsis, quam unitatem intelligant, an fidei tantum, an vere duplicem illam, quæ a Christo in Ecclesia sua instituta est, tam fidei, quam obedientiæ? Si primum illud tacite intendant, eo ipso jam manifesta ipsorum fallacia est; Christus enim non solum ejusdem fidei, sed etiam ejusdem obedientiæ suam voluit esse a se institutam fidelium societatem, seu unum corpus sub uno capite, unum ovile sub uno pastore (§ 20). In altero eoque integro tantum sensu firmum stat hoc principium: *Primatus a Christo institutus est, ut una in fide et obedientia christianorum sit Ecclesia.* Jam vero principii veritate bona in luce posita, nonne aperta est consequentiæ falsitas, *ergo Papa nihil potest, quod ad unitatem non est necessarium?* Quam hæc inania et fallacia verba! Ita potius debuisset fieri conclusio: ergo cum

Papa imperat, necessario est obediendum; ipsa enim obedientia ad unitatem a Christo institutam necessaria est : hinc omnes suas fideles oviculas Petro subditas esse voluit, cui soli jus totum ovile pascendi dedit : *Pasce oves meas.* 2° Primatus propter unitatem Ecclesiæ est, quemadmodum sane principatus civilis est propter bonum reipublicæ statum. Si jam ex hoc principio quis sequens vellet axioma statuere : ergo princeps nihil imperare potest, sine quo bonus rei publicæ status adhuc subsistere potest. Nonne insanire videretur? Sanæ autem rationis homo ita argumentaretur : cui finis committitur, huic et jus ad media datur; cum ergo unus sit princeps in republica, cum unus sit Papa in Ecclesia, ut hac unitate capitis, ille reipublicæ bonum commune, hic Ecclesiæ procuret, utrique jus est ad media imperanda, eaque non tantum absolute necessaria, sed et quocumque modo utilia. Potestatem principis restringe tantum ad ea, quæ pro bono status totius necessaria subditis videantur; et non jam principem, sed inanem principis larvam et umbram habebis. Quis hominum, quæso, ita ratiocinetur : alimenta sunt homini a Deo data ad vitam conservandam; ergo tantum jus habet homo ea solum, quæ ad vitam absolute necessaria sunt, accipiendi alimenta? Dic : nonne et alia, etiam commoda et utilia licet adhibere vitæ remedia? profecto. Probatum itaque ab humana ratione, justumque axioma est : cui finis committitur, huic jus est ad quæcumque, dummodo vera sint, media. Finis porro, cur uni Petro totum gregem pascendum dederit Christus, non simpliciter propter se unitas

fuit, sed et hæc altiorem adhuc finem habuit, cui ipsa tamquam medium inserviret, videlicet, ut ad spiritualem salutem procurandam totus grex optimo modo ab uno pasceretur : præviderat namque divinus Salvator, ad bona pascua vitæ spiritualis fideles suos melius ab uno pastore omnium supremo ductum iri, quam per plures æquales, facile inter se dividendos, et ovile una secum direpturos. Igitur æterna animarum salus omni meliori modo per unum supremum Christi vicarium procuranda, proprius est dignusque Deo finis, cur Pontificius Primatus institueretur ; hinc ad media quæcumque pro animarum salute adhibenda jus habet, idque illimitatum S. Pontifex : cui enim finis imponitur, huic et media committuntur. Ita sane docet philosophia, ita et jurisprudentia, et quod sufficit, hoc decrevit sancta Dei religio : *Tibi dabo claves regni cœlorum : quodcumque ligaveris, quodcumque solveris super terram, erit et ligatum solutumve in cœlis.* Cœli et terra præteribunt, verba autem Domini et facta non præteribunt : *Tu es Petrus et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, — *Tu confirma fratres tuos*, — *Pasce oves meas.* 3° Adversariorum fallaciam apertius etiam hoc modo ostendit Cl. Zallinger (1) : « *Primatus Pontificius propter unitatem a Christo institutus est*, hoc est, ea plenitudo Pontificiæ potestatis, de qua ex Scriptura, et Traditione certo constat, per rationem intelligitur, hunc habere effectum et finem, ut in Ecclesia Christi unitas cum fidei tum communionis et obedientiæ ef-

(1) In lib. I *Decretal.*

formetur et conservetur (c. IV). *Concedo.* — Ex præsumpto fine unitatis quoquo modo conservandæ, primum ratione investigandum, ac seclusa Scriptura et Traditione decidi debet, quæ et quanta sit Pontificia potestas. *Nego.* — Adversarii perperam et præpostere agunt omnia in hac caussa. Nam quod ex divinis fontibus hauriendum est, cum de positiva et voluntaria societate Christi ejusque potestate quæstio sit, id ipsi ratione sua componere et constituere volunt. Ex Scriptura et Traditione certo constat (c. III), in idea fundamenti totius Ecclesiæ, — in collatione clavium regni cœlorum ligandi solvendique quodcumque, — in officio et jure confirmandi fratres omnes, in officio et jure pascendi agnos et oves, h. e. totum Christi gregem, contineri *plenitudinem* Pontificiæ potestatis, sive potestatem *plenam*, ut generale Florentinum concilium definivit, et supra omnes alias Ecclesias *ordinariæ* potestatis principatum, quemadmodum generale concilium Lateranense docet. Divinis his Scripturæ et Traditionis fontibus præmissis, SS. Patres et Doctores vi rationis suæ collegerunt per illam, de qua ita certissimis testimoniis constat, Pontificiæ potestatis plenitudinem necessario effici debere, ut Ecclesiæ unitas firmetur et conservetur. Contra adversarii primo statuunt unitatis finem, nec attendunt, qua via et ratione, aut qua potestate unitatis finem obtineri voluerit Christus, sed ex fine, quem ipsi pro arbitrio definiunt, quoquo modo obtinendo, de potestate Pontificia disputant, multumque inde ineptiunt, tum circa ipsius unitatis conceptum, quem juxta febronianum *criterium* ex sex

vel septem primis Ecclesiæ sæculis desumendum asserunt, tum circa ipsa ad hanc unitatem conservandam media sive jura quæ ex perverso unitatis intellectu inde in *essentialia* et *adventitia* dividunt; et adventitiis malevolas etiam sanctæque Sedi injuriosas caussas vulgo assignant. Quae cum ita sint, qui claritatis et methodi gratia, *plenam* illam Primatus potestatem per partes deinceps proponere evolvereque voluerit, caveat, ne ita in partes divisa, ex plena et integra, qualis in se est et qualis est a Christo instituta, limitata evadat. Atque hoc est, quod hic erat monendum (1).

SECTIO II.

PONTIFICII PRIMATUS POTESTAS SE SOLA SUPREMA ET ULTIMA EST IN FIDE ET IN DISCIPLINA.

§ 25.

Adversariorum systema de provisoria Primatus ac conditionata potestate jurisdictionis in fide et in regimine quoad Episcopos singulos Ecclesiasque particulares, — Papa inde non est infallibilis, — inferior quoque ipse collegio Episcoporum, — Ecclesiæ consensus necessarius ad vim absolutam Pontificiarum constitutionum.

1. Hic in antecessum monuerim, non ita profecto

(1) Præter divisionem jurium Primatus in *essentialia* et *adventitia*, aliud est hodie doctorum Germaniæ et Austriæ Canonistarum doctrinæ caput, quod Ecclesiæ maxime noxium est, de juribus nempe laicorum principum *circa sacra*. De primo quidem, non autem de altero, pro consilio hujus operis convenit dicere.

me in hanc quæstionem ingredi, ac si eam pro dignitate tractare velim. Immensi id operis esset, atque etiam inutile post tot doctissimorum virorum hac super re commentationes. Unum hoc mihi sumo, nimirum : quænam ex nostris et adversariorum principiis necessario fluant consequentiæ; quæ commoda inde Ecclesiæ vel incommoda sequantur, breviter indicare. — Jam supra vidimus, adversariorum tum antiquorum, tum recentiorum systema esse *Aristocratiam* sive *Christocratiam*, cui etiam non raro, dum puta ab adversa parte premi se remque in angustum deductam vident, *Democratiam* pro fundamento subjiciunt. Hoc est, contendunt ipsi, omnibus Apostolis atque Episcopis ex Mattheo imprimis XXVIII, 19. *Euntes ergo* etc., et XVIII, 18 : *Quæcumque alligaveritis*, nec non ex Joanne XX, 23 : *Quorum remiseritis peccata*, supremam ultimamque fidei et regiminis auctoritatem a Christo proxime esse collatam, sive Episcoporum collegium congregatum vel non congregatum esse supremum fidei tribunal, atque disciplinæ ecclesiasticæ moderatorem summum; Rom. autem Pontificis volunt hic partes tantum esse : ut, cum ipse ex Matth. XVI, 18, 19, Luc. XXII, et Joan. XXI, 15, seqq. atque etiam ecclesiastica dispositione dispersæ Ecclesiæ sive dispersorum Episcoporum primus et caput sit, atque centrum communionis ecclesiasticæ, non congregato concilio, collegium Episcoporum quodammodo representet, ejusque vices gerat, atque proinde ejus nomine interim ea decernat, quæ ad tuendam Ecclesiæ unitatem rectumque ejusdem regimen sunt necessaria, ita ta-

men ut mentem sententiamque collegii Episcoporum, adeoque traditionem universalem et canones ecclesiasticos sequatur (1). Exinde Rom. Pontifici inesse

(1) Cf. cap. I, et § 17 et 22. — Audiatur hic Dal Pozzo, qui breviter Canonistarum Germaniæ et Austriæ systema ita proponit in libro pessimo, cui titulus : *Abrégé du droit ecclésiastique Autrichien,* chap. II, liv. II, n. 61. « La suprême puissance Ecclésiastique » a appartenu d'abord à tous les Apôtres, et en conséquence elle » appartient maintenant à tous les Evêques, leurs successeurs. » n. 64. La puissance Episcopale est donc d'institution divine, » tout comme la puissance Apostolique. Tous les Evêques ac- » quièrent également, *par le moyen de la consécration*, la puis- » sance pleine et indévise, soit d'ordre, soit de juridiction, sans » qu'il soit au pouvoir de ceux qui les élisent, confirment, ou » consacrent, d'y retrancher la moindre chose. — N. 67. La pri- » mauté fut instituée pour la conservation de l'unité de l'Église. » Comme l'Évêque de Rome est le centre de l'unité, il faut que » chaque Évêque se réunisse à lui par le commerce épistolaire » et par la communication des avis (!). Il faut que l'Évêque de » Rome préside le collége des Évêques assemblés, et y règle l'ordre » des affaires ; il faut qu'en l'absence du concile, il administre » suivant l'intention de tous, et qu'en qualité de leur vicaire uni- » versel, il statue d'une manière provisoire sur tout ce qui est » nécessaire. La Primauté n'est pas seulement une prérogative » d'honneur ; elle est aussi Primauté *d'autorité*, pour administrer » les affaires de l'Église, et Primauté *de juridiction* nécessaire » pour étayer cette même autorité. — N. 68. La forme du gou- » vernement ecclésiastique est donc celle-ci. La puissance su- » prême de l'Église appartient à tous les Évêques. Ceux-ci peu- » vent être considérés, soit *universellement*, c'est-à-dire pris tous » ensemble, soit *singulièrement*. Sous le premier point de vue, » tous les Évêques assemblés dans un concile, ou épars, consti- » tuent le sénat suprême de l'Église, dont le Primat, c'est-à-dire » l'Évêque de Rome, est le président, sujet cependant comme » chacun des autres, à tout le collége. *Singulièrement*, chaque » Évêque, après la circonscription des diocèses, exerce réguliè-

aiunt jus condendi tantum provisoria decreta pro universali Ecclesia ; quæ si sint circa caussas fidei et morum ita obligant, ut iis ob vim Primatus *reverentia et obsequium provisorie præstandum sit, saltem ad non dogmatizandum contrarium, quamdiu Ecclesia dispersa vel congregata non reclamat.* Quodsi tamen contingeret, ut decreta ejusmodi Pontificia doctrinæ communi Ecclesiæ adversarentur, Episcoporum pro eo, quo in definiendis fidei controversiis gaudent jure suffragii, officium foret decretis ejusmodi erroneis viribus omnibus repugnare (1). Ubi vero Ecclesiæ consensus accesserit, ea tunc, aiunt, falli nescia fieri, atque ultimata, atque adeo ipsis etiam interne tum adhærendum. — Si autem circa disciplinam ea versentur, et communi consensu recepta fuerint, vim habebunt, donec a concilio generali reformentur tollanturve. Singuli tamen Episcopi, quemadmodum conciliaria, ita a fortiori hæc Pontificia disciplinaria decreta in examen vocare poterunt, et utrum indoli, genio, libertatibus, privilegiis populorum, et aliis temporum et locorum adjunctis conveniant, inqui-

---

» rement sa puissance ecclésiastique seulement dans son diocèse. » On a vu que dans l'origine chaque Évêque l'exerçait partout ; et » aujourd'hui aussi, il peut en faire de même en cas de nécessité, » sauf toujours l'obéissance canonique qu'il doit, soit à tout le » collége, soit au Pontife romain dans les affaires appartenant à » sa juridiction Primatiale. »

(1) Præter Jansenianos, Febronium et Febronizantes, ita hic G. Rechberger, *Enchiridion jur. eccl. Austr.* tom. I, § 79 et 128. — Schenkl, *Inst. jur. eccl.* p. 1, § 234. — Cherier, *Enchiridion juris eccl.* tom. I, § 113, 125, 149. — Vide quoque Frey, *Krit. Comment. über das Kirchenrecht*, II Th. § 139, 140. —

rere, et si adversentur, ab eorum promulgatione et executione abstinere. Summus itaque Pontifex, juxta hanc adversariorum doctrinam, est quidem caput et Primas singularum Ecclesiarum earumque ex Matth. XVI, Luc. XXII, et Joan. XXI, cum jurisdictionis auctoritate doctor, pastor et legislator supremus, at non *absolute* supremus, sed *conditionate* tantum. Ut vero ejus fidei definitiones ultimatæ fiant et infallibiles, consensus et acceptatio accedat oportet illius, qui in Ecclesia *absolute suprema* jurisdictione a Christo donatus est. Hic namque solus *active* falli nescius esse potest, solus *absolutus* Ecclesiæ rector. Huic Papa subditus est. Ad eum a Pontificia sententia potest appellari.

2. Inde, juxta varias adversariorum sententias de sujecto divinitus posito summæ Ecclesiæ potestatis, ad Pontificia decreta requiritur consensus et acceptatio vel *totius cœtus fidelium* h. e. omnium Episcorum et inferiorum clericorum, cunctæ quoque plebis Ecclesiæ (namque his omnibus ut subjecto, juxta Democraticos, instituta a Christo suprema potestas *radicaliter* inest); vel, juxta Aristocraticos, consensus Ecclesiæ *docentis et regentis* dispersæ vel collectæ, id est, Episcoporum, non quidem singulorum, (singuli enim Episcopi singulæque Ecclesiæ particulares provisorie obedire tenentur et Pontificia sententia stare etiam ante omnem Ecclesiæ acceptationem (1)) sed collegii Epis-

(1) Idque juxta declarationis cleri Gallicani a. 1682, quam recentiores sequuntur, art. IV qui dicit: « In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta

coporum dispersorum vel congregatorum. Quibus non pauci simplices presbyteros, vel saltem parochos addunt. Postulant insuper alii omnium consensum unanimem physicum et absolutum, adeo ut certum Pontificis Romani judicium fallique nescium haberi non possit, cui aliquis Episcopus, aut aliqua particularis Ecclesia adversetur. Præterea utrum necessarius sit consensus *expressus*, an contra *tacitus* sufficiat sive non reclamatio; quo tempore præstandus sit ille consensus, an mox post Pontificis definitionem, an secus fieri possit; an tandem suffciat singularum Ecclesiarum ante Ecclesiæ acceptationem externum obsequium præstitum Pontificiis de fide definitionibus sive silentium non dogmatizando in contrarium, an potius, uti Gallicani adversus Jansenianos contenderunt, necessaria sit interna obedientia, licet provisoria, donec nempe Ecclesia accesserit vel contra steterit (1), de his omnibus varii varie fluctuanterque sentiunt. Incerta hæc, imo si vel leviter examinantur, etiam absurda doctrinæ capita Jansenianis totidem effugia fuere, quibus tuto atque secure Rom. Pontificis Ecclesiæque judicia spernerent (2).

3. Prædictum adversariorum systematis fundamen-

» *ad omnes et singulas Ecclesias pertinere*, nec tamen irreformabile esse judicium, *nisi Ecclesiæ consensus* accesserit. »

(1) Primum quod nunc Germaniæ Canonistæ docent, admisso eorum systemate, sibi penitus constat; secundo vero nihil absurdius.

(2) Cf. Devoti, *Institutiones juris canonici*, lib. IV, tit. IV, § 2, not. 2, et § 3, not. 1. Bolgenius, in libro, *Risposta al quesito cosa è un appellante*, num. 249, et seq. et num. 282, et seq. — et in libro, *Esame della vera idea della Santa Sede*, adversus Tamburinum, n. 100.

tum scilicet collegium Episcoporum solum, non autem Papam, accepisse supremam, absolutam et independentem potestatem quoad fidem regimenque Ecclesiæ, supra cap. III erroneum probavimus, ex Scripturis atque Traditione monstrando, Petrum ejusque successorem Rom. Pontificem fidem indeficientem a Christo impetravisse eamque falli et fallere nesciam, dum munus accepit (cum mediis procul dubio idoneis) fratres omnes in fide confirmandi; et præterea ostendendo Petrum a Christo constitutum fundamentum Ecclesiæ, pastoremque summum cum jurisdictionis potestate ligandi solvendique quodcumque, adeoque se sola plena, suprema et independenti. Unde plane conficitur, collegium Apostolorum Episcoporumve non fuisse a Christo *solum* ea suprema potestate donatum; si tamen eadem ab ipso fuit donatum, de quo alibi disquiremus. Modo quod ita supra ex Scripturis præstitimus, volumus nunc ratione agere; atque adeo ostendere: I) ex ea jurisdictionis potestate, quam Rom. Pontifex a Christo in fide et in regimine plenam habet regendi, pascendi, et gubernandi universalem Ecclesiam, imo etiam ex ea, qualis ab adversariis catholicis ipsi conceditur, necessario sequi Pontificiam de fide sententiam publicam erroris expertem esse debere, ne secus absurda gravissima admittere cogamur, quorum quædam indicabimus; — II) Adversariorum systema in caussis divinæ religionis ad pyrrhonismum ducere, in quem etiam ex ipsis plures lapsi sunt; — III) Pontificiæ infallibilitati neutiquam obstare Episcoporum singulorum vel omnium simul sumptorum qualitatem judicis fidei extra vel intra

generale concilium, etiamsi illa tamquam divino jure quæsita admitteretur, — obiter etiam indicabimus maxime deceptrices ideas esse de ratione judicis et examinis judicialis, quas imperitis lectoribus adversarii hic obtrudunt ;—IV) recta tandem notio generalis concilii qualis sit vel esse debeat juxta recentiores Pontificii Primatus adsertores.

§ 26.

Circa fidem Primatus potestas jurisdictionis plena est atque independens, et ita se sola suprema sive falli nescia. — Hœc ejusdem Primatus ἀσφαλεία seu infallibilitas ex agnito illius ab adversariis fine rite intellecto, concedendaque inde ab ipsis potestate debita unitatem procurandi, ante omnem etiam Ecclesiæ assensum necessario est admittenda. — Secus absurda gravissima

1. Pontificii Primatus potestas ex insignibus sacræ Scripturæ locis cap. III allatis, Traditione præterea, atque cumprimis Florentina definitione evidenter ostenditur summa, absoluta et independens ; inde namque potestas est ligandi solvendique quodcumque ; potestas est, ut etiam munus, in fide confirmandi fratres omnes ; potestas est doctoris omnium christianorum ; tandem plena potestas est pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam universalem. Inde 2° hujusce postetatis natura et indoles non in honore tantum, sed, quemadmodum etiam ab adversariis catholicis admittitur, atque traditio et Ecclesiæ praxis probat,

in vera et proprie cogente jurisdictione consistit ; 3° plena illa et coactiva primatus jurisdictio, auctoribus Patribus atque fatentibus adversariis a Christo instituta fuit ob bonum Ecclesiæ sive ob ejus unitatem cum fidei tum communionis conservandam et procurandam (§ 20), ut ita unum esset commune centrum, quod tot gentes toto orbe dispersas in una fide et communione conjungeret ; ob unitatem fidei, inquam, non solum *externæ*, quæ, si sola esset, simulatio fidei foret, sed præsertim internæ sive veræ fidei, quæ mentis assensus internus est. 4° Potest igitur Ecclesiæ Primas, et pro munere suo etiam debet, ea jurisdictionis potestate, quæ in Primatu est, cogere omnes etiam repugnantes ad eam fidem, quæ est in centro, in quo unitas efficitur et copulatur ; inde vera catholicæ Ecclesiæ fides ea est, quæ cum Petri ejusque successorum fide consentit. Ex his omnibus Pontifici Primatus potestas in condendis fidei decretis erroris expers sit oportet. Nam si in iis errare posset Pontifex, eidem errori subjecta foret fides totius Ecclesiæ, quæ propter annexam Primatui cogentem potestatem, cum Primatis fide consentire debet ; essetque adeo illa in centro potestas, omnes absolute cogens ad eamdem secum internam fidem, si errori obnoxia ipsa foret, erroris admittendi caussa, atque ita veluti obligatio omnibus a Christo imposita, sicque quod ab eodem in Ecclesiæ bonum institutum erat, nempe Primatus, ab ipso in ejusdem interitum verteretur, quo nihil absurdius dici potest. Admissa igitur suprema Primatus interne vereque cogentis jurisdictionis potestate, sua sponte fluit, at-

que ratio postulat, eam se sola absque alterius præsidio fallere et falli nesciam esse debere (1).

2. *Ex fine quoque Primatus ejusque ad hunc finem necessaria potestate* contra adversarios catholicos Pon-

(1) Hinc apprime Cl. De Maistre dixit, *Du Pape*, liv. I, chap. I, « La forme monarchique une fois établie, l'infaillibilité n'est plus » qu'une conséquence nécessaire de la suprématie, ou plutôt, » c'est la même chose absolument sous deux noms différens. » Mais quoique cette identité soit évidente, jamais on n'a vu » ou voulu voir que toute la question dépend de cette vérité; et » cette vérité dépendant à son tour de la nature même des choses, » elle n'a nullement besoin de s'appuyer sur la Théologie, de » manière qu'en parlant de l'unité comme nécessaire, l'erreur ne » pourrait être opposée au Souverain-Pontife, quand même elle » serait possible, comme elle ne peut être opposée aux souve- » rains temporels qui n'ont jamais prétendu à l'infaillibilité. C'est » en effet absolument la même chose dans la pratique, de n'être » pas sujet à l'erreur, ou de ne pouvoir en être accusé. Ainsi » quand même on demeurerait d'accord qu'aucune promesse di- » vine n'eût été faite au Pape, il ne serait pas moins infaillible, » ou censé tel, comme dernier tribunal : car tout jugement dont » on ne peut appeler, est et doit être tenu pour juste dans toute » association humaine, sous toutes les formes de gouvernement » imaginables; et tout véritable homme d'état m'entendra bien, » lorsque je dirai qu'il ne s'agit pas seulement de savoir, si le » Souverain-Pontife *est*, mais s'il *doit être* infaillible. — Celui » qui aurait le droit de dire au Pape qu'il s'est trompé, aurait, » par la même raison, le droit de lui désobéir; ce qui anéanti- » rait la suprématie (ou l'infaillibilité); et cette idée fondamen- » tale est si frappante, que l'un des plus savans protestans qui » aient écrit dans notre siècle (*Mosheim*), a fait une dissertation » pour établir que *l'appel du Pape au futur concile* détruit *l'unité* » *visible*. Rien n'est plus vrai; car d'un gouvernement habituel, » indispensable, sous peine de la dissolution du corps, il ne peut » y avoir appel à un pouvoir intermittent. » — Pro adversariorum systemate æque bene Dal Pozzo, loc. cit. § 74, « Si la puissance

tificia infallibilitas in dogmaticis definitionibus, ante omnem Ecclesiæ assensum, rite probatur. Namque apud ipsos, ex Patrum Traditione et catholicæ Ecclesiæ doctrina, certum est, Pontificum Romanorum Primatum a Christo fuisse institutum ob conservandam et procurandam in tota Ecclesia unitatem. Cum porro unitas Ecclesiæ potior, maxime conservanda sit unitas fidei, certum pariter esse debet, ipsum Primatum fuisse institutum ad potissimum conservandam in tota Ecclesia unitatem fidei. Dissentiones inde circa fidem, quæ dum in partes dividunt, unitati nocent, compescendæ sunt, ut unitas custodiatur et conservetur in Ecclesia. Eæ autem ut compescantur, utque provideatur unitati fidei, definitionibus dogmaticis legitima auctoritate editis efficiendum est. Non aliud medium concilia, non aliud summi Pontifices præsto habent. Hanc authoritatem Rom. Pontificibus competere non negant adversarii, imo præcipuas partes iisdem tribuendas jure Primatus ultro fatentur. Jam vero ex illo Primatui ab ipsomet Christo præstituto fine ad custodiendam et vindicandam in tota Ecclesia unitatem maxime in fide, tamquam medium idoneum ad finem fallere fallique nesciam in decidendis fidei controversiis ab eodem Christo concedi debuisse concessamque esse, nunc explicandum et constituendum est. Quod ex Cl. P. Ballerinio summatim præstabimus (1).

» suprême de l'Église appartient à tout le collége des Évêques, » et non pas au seul primat, l'infaillibilité dans les choses es» sentielles de la religion est, par identité de raison, l'apanage du » collége seulement, et non pas du Primat.

(1) P. Ballerinius, *Appendix de infallibilitate Pontificia in de-*

I). *Pontificia auctoritas, instituta ob finem conservandæ unitatis maxime in fide, esse debet per se sufficiens ad hunc finem obtinendum.* — Nemo id negare potest, aut in dubium revocare. Tota ergo difficultas sita est in constituendo, quænam sit illa Romanorum Pontificum auctoritas *per se sufficiens* ad conservandam in tota Ecclesia unitatem præsertim in fide; de hac tantum hic disputandum est, cum in hoc tantum sit et esse possit cum adversariis catholicis quæstio.

II). *Ut auctoritas SS. Pontificum sit per se sufficiens ad conservandam in tota Ecclesia unitatem fidei, debet esse non meri ordinis et honoris prærogativa, sed jurisdictionem aliquam peculiarem sibi competentem requirit, quæ per se exigat et obliget ad fidei unitatem.* — Et hic rursus assentiuntur adversarii catholici, quippe qui ex Ecclesiæ definitione Primatum jurisdictionis admittere coguntur.

III). *Auctoritas, quæ in definiendis fidei controversiis sit per se sufficiens ad exigendam et conservandam fidei unitatem, ita per se sola debet obligare atque sufficere, ut alius auctoritatis præsidio non egeat: ac propterea Pontificia auctoritas, quæ per se sufficiens est, ac dici debet ad conservandam et exigendam fidei unitatem, ad hunc finem obtinendum nequit egere consensu Ecclesiæ.* — Auctoritatem enim, quæ alieno præsidio indiget, ut unitatem exigat,

---

finitionibus dogmaticis ad finem libri, *De potestate ecclesiastica SS. Pontificum et concilior. gener.* Cf. quoque, *De vi ac ratione Primatus*, cap. XV. Egregium porro hunc auctorem recentiores fere ad verbum sequuntur omnes; omnium enim præclarissime hanc ipse materiam tractavit.

atque sua vi consequatur, ad hunc finem obtinendum per se non sufficere certissimum est. Dicere cum adversariis auctoritatem Primatus per se sufficientem, si Ecclesiæ accedat assensus, idem est ac negare eam per se aptam ac sufficientem ad finem, propter quem talis auctoritas a Christo instituta ab ipsis adversariis conceditur. Vel ergo negandum est Primatum institutum fuisse ad conservandam in Ecclesia unitatem potissimum fidei : vel, si hoc negare vetat Patrum Traditio et Ecclesiæ doctrina, quam et adversarii amplectuntur, fatendum profecto est, eundem Primatum fuisse instructum auctoritate per se sufficiente et idonea ad exigendam et conservandam fidei unitatem, ut non egeat præsidio seu accessione consensus Ecclesiæ. Hæc quidem conditio de consensu Ecclesiæ ab adversariis requisita, quemadmodum eorum de suprema collegii Episcoporum potestate systema, ex quo fluit, novum inventum est, quod ignoravit antiquitas. S. Flavianus Episcopus Cp. (1) ita per se sufficientem habuit definitionem S. Leonis contra errores Eutychetis, ut non crederet opus esse concilii generalis præsidio. Idem censuit etiam S. Leo, cum convocationi generalis concilii sese opposuit. Quodsi huic congregando postea assensit, non idcirco assensit quasi putaret vim per se sufficientem ad obligandum deesse suæ definitioni, de qua in concilio quæstionem ac dubium moveri noluit, sed ne obviaret Marciani imperatoris consilio, qui medium hoc utile ac pene necessarium putabat ad conciliandam unitatem et pacem. (Ita SS. Pon-

(1) *Epist.* 26, *inter Leon.*

tifices cum suam potestatem ad unitatis finem institutam scirent, omnia media sibi tentanda duxerunt, nullum negligendum, ut dubitantes vel repugnantes ad unitatem adducendos curarent; neque ob id suam auctoritatem per se insufficientem consuerunt ad obligandum; neque obligandi vim pendere existimarunt a cujusquam consensu). Ceteri etiam omnes et primorum et sequiorum sæculorum Pontifices potestatem suam adeo per se sufficientem ad obligandum crediderunt semper, ut consensum definitionibus Apostolicis debitum subscriptionibus præstandum exegerint vi ipsius auctoritatis per se, etiamsi nondum adesset ille consensus, qui ad vim omnino coactivam ab adversariis requiritur. Exempla definitionum *Innocentii*, *Zosimi*, *Cœlestini*, aliorumque, qui ad subscriptiones coegerunt, notissima sunt (1). Cogere enim ad subscriptiones, est cogere ad consensum : hæc vero coactio ante Ecclesiæ consensum fuisset injusta, si Apostolica auctoritas, ut legitimam vim obligandi haberet, indigeret præsidio seu conditione consensus. Illa coactio tyrannicam contineret usurpationem in Episcopatum, errorem minime tolerandum in subversionem et destructionem fidei, constitutionisque Ecclesiæ, quod Deus permittere nullatenus potest absque defectu perpetuæ suæ assistentiæ Ecclesiæ promissæ, et cui ipsa Ecclesia silentio, laudibus et

(1) Ex recentioribus etiam nota sunt : Const. Inn. X *Cum occasione* a. 1653, et ejusdem Breve, *Dilecti filii ac Episc. Gallicæ* 1654. — Const. Alex. VII, *Regiminis Apostolici* 1665. — Const. Clem. XI, *Vineam Dni* 1705. — Const. Alex. VIII, *Inter multiplices* 1690. — Const. Pii VI, *Auctorem fidei* 1794, etc.

executione annuere non posset ; Ecclesiæ enim ea quæ sunt contra fidem et bonos mores divinamque constitutionem nec facit, nec approbat, nec tacet.

Sed, ut ceteros Patres præteream, prædictam conditionem omnium evidentissime respuit Lugdunensis in Gallia Episcopus *S. Irenæus*, Patrum Apostolicorum suppar et auditor. Hujus S. Patris testimonium in libris, quos contra hæreses pro catholica fide scripsit (1), tam insigne, tam luculentum est pro Romani Pontificis Primatu ejusque *absoluta* infallibilitate, ut vel solum adversus adversarios nostros sufficiat atque peremptorium, ut aiunt, argumentum suppeditet. Sed hinc quoque factum, ut maximis ævo recentiori certaminibus litterariis obnoxium fuerit. Meum itaque esse reputo, ex ipsomet Irenæo hunc locum diligenter explicare. « Traditionem Apostolorum, ait ille, in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre : et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his (hæreticis) deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim et latenter ab reliquis docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes : quibus emendate agen-

(1) *Lib. III Contra hæreses*, cap. III, ed. Massuet. Paris 1710.

» tibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa
» calamitas. Sed quoniam valde longum est in hoc
» tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare suc-
» cessiones, maximæ et antiquissimæ, et omnibus
» cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro
» et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ
» eam, quam habet ab Apostolis traditionem et an-
» nuntiatam hominibus fidem, per successiones Epis-
» coporum pervenientem usque ad nos indicantes
» confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel
» per sibi placentia, vel per vanam gloriam, vel
» per cæcitatem et malam sententiam, præterquam
» oportet, colligunt. *Ad hanc enim Ecclesiam prop-*
» *ter potiorem* (al. potentiorem) *principalitatem ne-*
» *cesse est omnem convenire Ecclesiam* (1), *hoc est*
» *eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his*
» *qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab*
» *Apostolis traditio* (2). »

---

(1) Ad Ecclesiam Romanam necesse est convenire omnem Ec
clesiam seu omnes omnino fideles per totum orbem dispersos : no
quod illuc profisci tenerentur ii, qui erant undique fideles; id ve
cogitare absurdissimum foret : sed quod, uti fateri coactus fu
ipse Salmasius, *De Primatu Papæ*, cap. V, p. 65, edit. Lugd
Bat. 1645, necesse esset *convenire et concordare in rebus fid*
cum Ecclesia Romana. Græce quippe, inquit ipse, loquutu
fuerat Irenaeus, *συμβαίνειν πρὸς τὴν τῶν Ρωμαίων ἐκκλησίαν*
porro *συμβαίνειν πρός τινα*, æque usitatum græcis, ac *συμβαί*
νειν τινὶ.

(2) Duplex in ultimis Irenæi verbis membrum in oculos incurri
I^m agit de necessitate unitatis in fide cum Ecclesia Romana c
potentiorem ejusdem principalitatem.— II^m vero docet, eos omne
qui hanc debitam unitatem custodiunt, ideo custodire eam qu

Ex splendido hoc Irenæi testimonio, infallibilitatis Apostolicae Sedis assertores jure merito contendere Ecclesiae Romae fundatae inerrantiam, eamque absque omni conditione *absolutam* apertissime et invicte confirmari vel obiter legenti patet. Quod tamen ex toto Irenæi contextu distinctius explicare et confirmare libet. 1° Invictum loco laudato et peremptorium contra omnes hæreses argumentum S. Episcopus sumit ex traditione in toto mundo manifestata ab Apostolis, seu ex omnium Ecclesiarum, quas instituerunt Apostoli, traditione. Ut autem hæc omnium Ecclesiarum Apostolicarum traditio elucescat, recolendos ait eos, *qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos;* et videndum, quid docuerint, ac doceant ii, quibus locum magisterii tradiderunt, et si quidem inveniatur, ipsos nihil tale docuisse, neque cognovisse, quale ab his (hæreticis) deliratur; hos statim confundendos. — 2° Porro ut omnium ejusmodi Ecclesiarum detegeretur traditio, num interrogandos credidit omnium vel plurium Apostolicarum sedium Episcopos? Cum id nimium difficile, ac longum nimis fuisset, solius Romanæ Ecclesiæ successionem subtextuit Irenæus; et ad ostendendam omnium aliarum sedium ac totius Ecclesiæ traditio-

---

est ab Apostolis fidem, illos autem, qui hanc unitatem deseruerunt, a vera Apostolica fide defecisse convinci. Quemadmodum inter τὸ *Ecclesia Romana*, et *omnis Ecclesia* in membro priori, sta inter τὸ *in qua* (Romana Ecclesia), et *ab his qui sunt undique* in membro posteriori, manifesta est oppositio. Hallucinatus est ergo Dr *Paulus*, dum τὸ *in qua* ad *omnem Ecclesiam* referre voluit.

nem, qua satis superque confunderentur quæcumque hæreses, unius Romanæ Ecclesiæ traditionem, ac fidem a Romanis Pontificibus propositam sufficere judicavit : *Sed quoniam valde longum est* etc. — 3° Cur autem satis crediderit Romanorum Pontificum seriem ac traditionem proferri, ad ostendendam omnium aliarum Ecclesiarum ac totius catholicæ Ecclesiæ traditionem, qua hæretici detegantur et confundantur, ut nihil opus sit aliarum Apostolicarum Ecclesiarum successiones traditionemque adjicere, his verbis probat : *Ad hanc enim Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Cognita ergo traditione ac doctrina fidei Romanæ Ecclesiæ ab ejus Pontificibus ediscenda, omnium catholicarum Ecclesiarum, ac universæ Ecclesiæ traditio innotescit, quia certum est, omnes cum ea, vi Primatus ejus, in negotio fidei convenire oportere, et ex necessaria fidei unitate in ea *semper conservatam fuisse ab his, qui sunt undique* (id est ab omnibus vere fidelibus totius orbis Ecclesiis) *eam, quæ ab Apostolis est traditio.* Vides, non solum necessariam esse unitatem omnium fidelium cum Romana traditione ac fide, verum etiam eamdem semper ab omnibus vere fidelibus ita fuisse custoditam, ut ob hanc unitatem conservata fuerit Apostolica traditio ab iis, qui eidem fidei constanter adhæserunt, eos autem, qui ab ea defecere, ad hæresim deflexisse, et hæreseos nota confundi oportuisse. Non ergo vim cogendi omnes sive necessitatem con-

veniendi seu consentiendi cum Romanæ Ecclesiæ fide omnibus undique fidelibus omnibusque Ecclesiis impositam Irenæus deduxit ex earum consensu, quem nec inquirere nec cognoscere opus putavit; sed hunc consensum ex vi coactiva Romanæ fidei atque Primatus deducens, vim per se sufficientem ad obligandum omnes ipsi Romanæ fidei atque Primatui attribuit. Si fuisset juxta Irenæum in doctrina fidei cum Romana Ecclesia conveniendi necessitas, quia ceteræ Ecclesiæ cum Romana concordant, tum vis exigendi consensus. deduceretur ab ipso consensu, atque ita consensus sui ipsius caussa simul esset et effectus, qua ludicra interpretatione admissa is esset Irenæi sensus: *necesse est, ut omnis Ecclesia, quæ in fide jam concordat cum Ecclesia Romana, cum ipsa in fide conveniat.*

Ne hic itaque, ad adstruendam ex ipso Irenæo conditionem, ingeras illa, quæ idem Sanctus post assertam necessitatem unitatis cum Rom. Ecclesia statim subjicit: *In qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio*, perinde ac si his verbis significaret ipse, Romanam fidem ideo exigere unitatem ab omnibus, quia omnes undique confluentes Romam, omnium Ecclesiarum consensum ad eam attulerunt. — Nam profecto quis hanc interpretationem ab obvio verborum sensu et a contextu alienam ferat? Verba, quæ tradunt fidem Apostolicam conservatam ab omnibus undique fidelibus in Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ fide, omnium quidem Ecclesiarum consensionem et unitatem cum fide Romana certam præsumunt, at non idcirco

caussam et obligationem consentiendi, seu vim coactivam ad hanc consensionem et unitatem, in ipsum omnium consensum referunt. De hac necessitate seu vi coactiva iis verbis non agit Irenæus, sed præcedentibus, quibus eam vim atque necessitatem, uti notavimus, non consensui, sed Primatus auctoritati asseruit, *propter potentiorem* scil. *principalitatem*. Cum porro ob potentiorem vim Primatus *necesse sit omnem Ecclesiam, hoc est omnes, qui sunt undique fideles convenire*, seu unitatem tenere cum Romanæ Ecclesiæ traditione ac fide, quæ ab Apostolis Petro et Paulo originem ducit, certum efficitur, eos omnes, qui hanc debitam unitatem custodiunt, custodire etiam eam, quæ est ab Apostolis fidem : et contrà eos, qui hanc unitatem deserunt, aut deseruerunt hæretici, a vera Apostolica fide defecisse convinci. Ita porro in unitate Romanæ fidei ab omnibus, qui sunt undique, custodita est vera fides Apostolica, ut ipsæ Ecclesiæ Apostolicæ, quæ fidem acceperunt ab Apostolis, conservarint veram fidem, quamdiu Romanæ fidei adhæserunt, ex quo autem hanc unitatem deseruerunt, a vera Apostolica fide defecerint.

Nec minus futile est aliud hoc Gallorum, Jansenianorum, atque Germanorum effugium, dum dicunt, non de fide Romanorum Pontificum, nec definitionibus ipsorum in materia fidei Irenæum loqui, sed de Romana Ecclesia seu de Ecclesiæ Romanæ traditione ac fide tantum. Quidquid enim auctoritatis in unitatis bonum Romanæ Ecclesiæ vel fidei tribuitur, id propter potentiorem Principalitatem, seu propter Primatum, qui in bonum unitatis fuit insti-

tutus a Christo, pertinet ad Rom. Pontifices, in quibus tantum residet Primatus vis et auctoritas; et idcirco Rom. Ecclesiæ fides, quacum ex Irenæi doctrina omnes convenire et concordare necesse est propter Primatum, alia non potest intelligi, nisi fides, quam Pontifices jure Primatus in unitatis bonum definiunt, ut fidei unitatem in tota Ecclesia custodiant.

Nihilne porro ulterius in splendidum illud S. Irenæi testimonium tentaverit Tournelius? Etiam profecto. Ipse velut ex tripode pronuntiat (1), 1° hæreticos traditione Romanæ Ecclesiæ juxta Irenæum confundi, non quasi hæc una sufficeret, sed quia cum ceteris Ecclesiis Romana in eandem fidem conspirat, 2° verba illa Irenæi *propter potiorem Principalitatem* Romanæ Sedis Primatum recte ostendere, non vero illius infallibilitatem; de necessitate vero, quam omni Ecclesiæ incumbere tradit Irenæus, cum Ecclesia Romæ fundata in doctrina fidei conveniendi, et in quo tota argumenti vis elucescit, apud Doctorem Sorbonicum ne vola quidem aut vestigium est. Hujus certe sententiam retulisse, refutasse est.

Obtrudat nunc quispiam, et ingerat alium ejusdem Irenæi locum, ubi alias quoque Ecclesias Apostolicas laudans, harum traditionem consulendam significat. — R. Id sane tunc poterat jure fieri, quum illæ tenebant necessariam cum Romana fide unitatem. Nunc vero postquam ab hac unitate desciverunt, et sola Romana veram Apostolicam fidem una cum ceteris catholicis Ecclesiis tenet, semperque tenebit immotam et inte-

(1) *De Ecclesia*, tom II, pag. 235, seqq.

gram, quis catholicus ad eas consulendas hæreticos provocet? Hinc certe Irenæus, etsi suo ævo laudarit aliarum Apostolicarum Ecclesiarum traditionem, non tamen de illis, sed de sola Romana affirmavit necesse esse cum fide ipsius unitatem tenere, et id propter potentiorem Primatum, qui soli Romanæ Ecclesiæ, seu solis ejus Pontificibus competit.

Et hæc sunt, quæ adversus insigne illud S. Irenæi testimonium infallibilitatis osores tentarunt. Multa certe sunt, mira etiam, quia cordatis Theologis indigna, pene dixerim ridicula (1).

---

(1) Protestantium quoque, quorum argumentis interdum etiam adversarii catholici utuntur, in celebrem illum Irenæi locum conamina adversus Pontificium Primatum ex Renato Massuet, *Dissertationes prævіæ in Irenæi libros*, dissert. III, art. IV, n. 32, seqq.—et Aug. Roskovàny, *De Primatu Rom. Pontificis*, § 20, seqq., paucis libet indicare.—I) Salmasius, qui (*De Primat. Pap.* cap. V, p. 65 edit. Lugd. Bat. 1645) prædicti Irenæi loci sensum hunc esse statuerat: *Necesse* scil. *esse omnem Ecclesiam convenire et concordare in rebus fidei ac doctrina cum Romana Ecclesia*, postea addit: *Velle Irenæum, Ecclesiam Romanam, ut principalem, id est primam et omnium maxime puram, typum et exemplum ceteris debere esse doctrinæ sinceritatis, et Apostolicæ traditionis custodiendæ.* — R. si eo dumtaxat sensu Romanam Ecclesiam primam et principalem esse velit Salmasius, quod omnium maxime pura, typus et exemplum ceteris esse debeat doctrinæ sinceritatis, et Apostolicæ traditionis custodiendæ, nugatur profecto et cum ipso nugantur omnes, qui illi in Germania recentiores catholici Canonistæ hic consentiunt. Nam si ea solum ratione apud Irenæum principalis ac prima esset Romana Ecclesia, de eo Primatu, ac principatu jure meritoque cum ea contendere potuissent Smyrnensis et Ephesina Ecclesiæ, quas subinde memorat Irenæus. Et ipsæ enim tunc temporis nec minus puræ erant, quam Romana; nec minori jure ut typus et exemplum doctrinæ sinceritatis et Apostolicæ tra-

IV) *Auctoritas, quæ sit per se sufficiens ad exigendam et conservandam fidei unitatem in tota Ecclesia, ea vi prædita esse debet, qua ad unitatem obliget non aliquos tantum, sed omnes christianos, non*

---

ditionis custodiendæ ceteris proponi potuissent. Frustra ergo et ridicule hoc sensu uni Rom. Ecclesiæ *potiorem principalitatem* asseruisset Irenæus, quam aliæ eodem jure, ipsæ et ab Apostolis pariter fundatæ, et a sanctissimis eorum successoribus gubernatæ, vindicare sibi potuissent. Frustra contendisset, necesse esse omnem Ecclesiam convenire et concordare in rebus fidei et doctrina cum Romana, ob potiorem ejus principalitatem. Nisi enim hujus sententiæ in rebus fidei ceteræ Ecclesiæ parere teneantur, nulla potior erit necessitas cum illa consentire, quam cum Antiochena, Ephesina, Smyrnensi aliisve. — II) Aliorum sententia, imprimis Grabii ea est: quæ verbum *convenire* de *physico* confluxu intelligit omnium fidelium Romam tamquam ad imperii caput Magistratuumque civilium sedem variis de caussis instituendo; nimirum 1° vel ad *politica* sua promovenda negotia, vel 2° ut per se se vel per procuratores tamquam Apologetas eo missos *caussam suam christianam* apud imperatores agerent, quorum potentior erat principalitas, id est, suprema potestas. Juxta *primum*: potentior Romanæ Ecclesiæ principalitas ab Irenæo laudata a splendore et honore urbis quasi suspensa fuit. Hujus sententiæ patroni fuerunt: (Pehem), *Historisch-statische Abhandlung über die Errichtung der Bisthümer. Von einem Freunde des Kirchlichen Alterthums.* Wien 1790, pag. 27, — Planck, *Geschichte der Christlich-kirchlichen Gesellschafts Verfassung.* T. I, p. 117, — Pinel, *Uber den Primat des Römischen Papstes*, p. 221, « Da Rom, ait ipse, die Hauptstad des » Reichs war, so ist es unvermeidlich, dass in dieser Stad und » zu der in ihr blühenden Kirche, die Gläubigen aus allen Ge» genden zusammen kommen, so zwar, dass Rom gleichsam eine » allgemeine Kircheversammlung stets da selbst versammelt dar» stellte, und dadurch gleichsam eine reine Quelle der Aposto» lischen Lehre wurde. » Præluserat ipsis Edm. Richerius, *Def. lib. de eccl. et pol. pot.* tom. I, l. III, c. V, n. 13. — Juxta *secundum*: *potentior principalitas* est potestas suprema R. Impe-

tam distributive quam collective sumptos, ex quibus collective sumptis constat ipsa catholica Ecclesia. — Si quos enim non posset ad fidei unitatem vi idonea obligare, non esset auctoritas per se sufficiens, ad

---

ratorum, apud quos ut caussam christianorum agerent, quidam ab omni Ecclesia tamquam Apologetæ Romam mittebantur, i. e. ad Romanam urbem, et proinde ad Ecclesiam ibidem existentem. De hoc *conventu* ad locum urbis, atque Ecclesiæ Romanæ, non de communione fidei ac charitatis cum ea, multo minus de subjectione obedientiæ Irenæum hoc loco scripsisse, imprimis autumat Grabius. — R. ad 1m *a*) Irenæus dicit : *ad hanc enim Ecclesiam* Romanam ut patet ex contentu, *necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Cur ? *ob potiorem principalitatem* ejus. Solius Ecclesiæ Romanæ ejusque potioris principalitatis meminit Irenæus, non autem urbis. Ad Romanam *Ecclesiam*, dicit, omnes fideles in fide convenire debent ob ejus potentiorem principalitatem, ut ita veram Apostolicam traditionem conservarent; non autem ad urbem Romanam, ut politica sua negotia agerent. — *b*) Sed qualia, quæso, fuissent illa negotia politica tempore Irenæi, quorum procurandorum gratia christianis Romanam urbem petere necesse fuerit, et qua ex circumstantia ad modum consequentiæ inferendum sit, traditionem universalem, de qua Irenæus loquitur, per hunc fidelium confluxum in Ecclesia Romana stabilitam fuisse ? Christiani profecto eo tempore nec Magistratus politicos Romæ gerebant, nec, quod a civili jurisdictione instantius sollicitarent, habebant; quin potius in propria quoque caussa sollicite judicia civilium tribunalium declinabant. Eam sententiam rejicit ipse Henke, *Opusc. academ.* Lips. 1802, tom. I, p. 32. — R. ad IIm sive *Grabianam* expositionem : *a*) eam prorsus repugnare S. Irenæi scopo, qui est probare, unam et eamdem in omni Ecclesia traditionem Apostolicam et fidem esse, qua confundantur hæretici; eam vero puram et illibatam per continuam Episcoporum successionem ad suam usque ætatem manasse. Quia vero longius et molestius fuisset omnium et singularum Ecclesiarum successiones episcopales enumerare, sufficere, si unius Ecclesiæ Romanæ successio, per quam Apostolica traditio pervenit usque ad illud ævum, recenseatur : quia

custodiendam in tota Ecclesia unitatem fidei, quæ non ex aliquorum tantum, sed ex omnium christianorum fide coalescit. Si igitur, uti oportet, ita obligare potest omnes *distributive*, ut in tota collectione Ecclesiæ

---

eadem est aliarum Ecclesiarum omnium cum Romana fides et traditio. Eamdem autem esse aliarum Ecclesiarum cum Romana fidem et traditionem ex eo probat Irenæus, quod ad Romanam Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse sit convenire omnem Ecclesiam. Atque adeo cum ex traditione illius Ecclesiæ confundantur hæretici omnes, ex consensu omnium Ecclesiarum confundi necessario consequitur. — Juxta Grabium vero ita argumentatus fuisset Irenæus : illarum Ecclesiarum eadem est cum Romanâ fides et traditio, quarum fideles necesse est Romam venire, ut christianorum caussam agant apud Imperatores, quorum potentior est principalitas seu potestas suprema. Atqui necesse est, fideles ex omnibus Ecclesiis Romam venire propter eam caussam. Igitur omnium Ecclesiarum eadem est cum Romanâ fides et traditio. Grabium ipsum hic judicem volo : quis, quæso, nisi delirus, ita argumentatur ? Si vero de necessitate conveniendi in fide cum Romana Ecclesia illud verbum *convenire* sumatur, ut et præmissa et sequentia contextus verba ad fidem pertinent, argumentatio legitima est, optimeque omnia cohærent. — *b*) Necesse fuit, eos, qui sunt undique fideles, aut saltem eorum procuratores seu Apologetas Romam venire, ut caussam christianorum agerent apud Imperatores ! Tantum abest, ut id necesse fuerit, ut ante Irenæi ætatem factum aliquando fuisse ne uno quidem exemplo probare possit Grabius. Plures quidem christianorum apologias oblatas Imperatoribus a Quadrato, Aristide, Melitone, Apollinari, Athenagora et Justino legimus, sed eos ab Ecclesiis Romam missos fuisse, ut caussam christianorum agerent apud Imperatores, falsissimum est : imo plerosque, ipsum etiam Athenagoram, cujus apologiæ titulo, qui *Legatio* inscribitur, abutitur Grabius, e patria pedem extulisse, ut apologias suas offerrent, nullibi legimus ; si qui vero, ut Justinus, Romæ eas obtulerint, dudum antea ibi degebant, nec huc eo fine venerant. Ita igitur opinioni Grabii nihil veri inest. Hæc adeo clara sunt, ut ex adversariis quoque plures

nullus sit, qui post definitionem licite possit dissentire a dogmate definito, ut ante definitionem poterat, profecto et *collective* tum obligat. Num aliter ipsæ definitiones conciliorum generalium, quæ sane totam collectionem adstringunt, omnes *collective* obligant?

V) *Auctoritas, quæ in conservationem unitatis fidei definitiones dogmaticas edit, his definitionibus dogmaticis, ut ad conservandam fidei unitatem sufficiant, obligare debet omnes*, NON AD MERAM EXTERIOREM OBSERVANTIAM, SED AD INTERNUM ASSENSUM ET OBSEQUIUM

---

physicam verbi *convenire* significationem rejecerint. Vid. *Eruditum Jenensem* (Jenaische allgem. Liter. Zeit. 1827, n. 212.) qui dicit, « Das *convenire* vom leiblichen zusammentreffen zu verstehen, scheint zu gezwungen, und das dabei stehende *omnem Ecclesiam* lässt diese Deutung unmöglich zu. » — III) Alium explicandæ præfatæ Irenæi loquutionis modum iniit Joannes Jacobus Griesbach, *Commentatio de potentiori Ecclesiæ Romanæ principalitate*, Jenæ 1779, dum quidem cum Salmasio statuit, *convenire ad Ecclesiam Romanam* idem esse ac consentire cum hac Ecclesia in doctrina συμβαίνειν πρὸς αὐτήν; at simul voluit το *in qua* ad antecedentia debere referri, ut inde sensus esset : *Omnis Ecclesia, in qua semper conservata est*, etc. Hanc Griesbachii sententiam quadraginta post ipsum annis communire tentavit D^r *Paulus*, per potiorem principalitatem intelligens non nisi ἡγεμονικὸν *directorium quoddam*, quod Ecclesia Romana e respectu civili urbis in orbe principis sibi vindicet. Contra Gieseler, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, I B, 2 aufl. p. 162, nomine potioris principalitatis intelligit αὐθεντία ἀρχή *originalitatem*, alludens procul dubio ad originem Ecclesiæ Romanæ a Petro et Paulo sumtam. Vid. Eichhorn, *Grundsätze des Kirchenrechts*. I B. Götting. 1831, p. 65.—R. breviter 1° ob merum directorium vel originalitatem non potest esse *necessitas* conveniendi cum Romana Ecclesia in fide. —2° *In qua* referre ad *omnem Ecclesiam*, contextui repugnat, ut supra notavi.

MENTIS : *secus nec fides nec fidei unitas servari possent.*— Christus in omnibus suis fidelibus voluit esse fidem veram i. e. internam, hancque in omnibus servari puram et integram auctoritate Primatiali ab ipso ad id instituta. Conservatrix hæc auctoritas centrumque fidei catholicæ omnes inde potest ad eamdem secum fidem internam cogere, et illi definienti aliquod dogma, obsequendum *interno mentis obsequio est.* Falli nescia hinc ea potestas invicte probatur. Cardo-ne rei in hoc vertitur? Certe. Quid igitur hic adversarii? Gallicani admiserunt Romanum Pontificem omnes posse cogere particulares Ecclesias ad internam secum fidem, ejusque dogmaticæ definitioni interno mentis obsequio obsequendum ab omnibus esse (1) sed *provisorie* tantum. Gerson vero, Janseniani, Febronius et Febronizantes atque hodierni in Germania et Austria Canonistæ sibi magis constantes contendunt, Romanum Pontificem, quippe errori ipse obnoxius, sua fidei definitione ceteros cogere solum posse ad unitatem fidei externam, et ad externam obedientiam, *non dogmatizando contrarium donec Ecclesia reclamat.* De his infra : hic vero adversus provisoriam Gallicanorum internam in fide obligationem et obedientiam modo agemus.

VI) *Pontificia auctoritas, quæ ab omnibus christianis etiam Episcopis exigit obsequium et assensum*

(1) Id confirmarunt Gallicani imprimis occasione celebris *casus conscientiæ*, uti vocabant, qui, cum externum, non autem internum obsequium definitionibus Romanorum Pontificum exhibendum præferret, iisdem Gallicanis postulantibus Pontificia auctoritate damnatus est, et damnatio ab illis non solum recepta, sed et laudata etiam fuit.

internum proprium fidei erga definitiones a summis Pontificibus editas, omnem dubitationem debet excludere, ita ut dubitare non liceat, num illi, cum fidei controversias definiunt, in ipsa definitione errent. — Hæc per se clara sunt; nam si semel concedatur, decretis a Romano Pontifice, si errori ipse obnoxius est, latis certo mentis assensu etiam per *provisionem* credendum esse, donec suum Ecclesia ipsa judicium interposuerit, erit etiam concedendum, illis decretis post latum ab Ecclesia qualecumque judicium semper inhærendum esse, ac interne assentiendum. Quid ita? Nempe fides inmutabilis est; quod semel creditum ab universis catholicis fuit, hoc semper credendum est, cum una semper et eadem veritas existat, nec in varios mutetur vultus; ergo si Pontificia de fide decreta ab omnibus orbis catholici fidelibus interno mentis assensu ac fidei obsequio excipienda sunt, immota jam eo ipso et inconcussa fiunt. Stat igitur firmum omnium consensu munitissimum hoc principium, videlicet: non teneri fideles judicio nisi infallibili, internum ac certum mentis obsequium exhibere, nec illud proinde Rom. Pontificibus de fide pronuntiantibus esse necessario exhibendum, si in suis erga fidem judiciis errorem admittere ac propinare possint. Unde

VII) *Auctoritas Pontificia, cujus definitiones dogmaticæ in conservationem unitatis fidei editæ obligant totam Ecclesiam ad internum assensum fidei ipsis definitionibus præstandum, omni dubitatione exclusa, in definiendo infallibilis dicenda est, cum ipsa Ecclesia ex promissis Christi passive infallibilis sit.* — Ex hac igitur *passiva* totius Ecclesiæ infallibilitate, quam

catholici ex certis Christi promissis omnes fatentur, invicte deducimus infallibilitatem definitionum, quas circa fidem edunt S. Pontifices; iis enim, cum ob vim Primatus interno etiam mentis assensu obedire quivis teneatur, infallibiliter et sine periculo erroris parere possit oportet; ne si in istas posset fidei error irrepere, Ecclesia catholica, quæ ad assensum obligatur, in errorem induceretur. Hæc contra Gallicanorum doctrinam de interna in fide obedientia provisoria.

Quæ porro adversus recentiores Germaniæ et Austriæ Canonistas et Dogmaticos dicturi sumus, ea quoque adversus Gallicanos valent. Germanorum doctrina est: voluisse Christum in Ecclesia sua veram internamque fidei unitatem ultimatim et infallibiliter servari per collegium Episcoporum dispersum vel congregatum, quod solum suprema potestate donatum fuisse, dicunt; per Rom. vero Pontificem, unitatem tantum exteriorem custodiri, ab ipso in controversiis fidei silentii imposita necessitate per definitiones suas, quibus ab omnibus *provisorie obsequendum sit*, SALTEM *ad non dogmatizandum contrarium*, *quamdiu Ecclesia non reclamat* dispersa vel congregata; si vero hæc consentiendo vel definiendo accesserit, tum tandem interno quoque assensu iis ab omnibus adhærendum.

R. 1° Si nemini particulari liceat dogmatizare contra definitiones Apostolicas, quamdiu Ecclesia non reclamaverit, sed contra *provisorie iis obsequendum sit*, quomodo tum, quæso, fieri poterit, ut Ecclesia aliquando reclamet? Quis id congrue explicabit? Numquam profecto id eveniet, nisi quidam in particulari ante contradictionem Ecclesiæ incipiant sese eisdem opponere,

quod illi tamen licite facere non poterunt, quippe qui juxta adversarios Pontificia definitione saltem ad silentium obligantur. Num jam ex illicita aliquorum particularium contradictione exspectari poterit juridica contradictio Ecclesiæ ? quæ contra semper adhæsit et adhæsura est centro unitatis fidei, quocum omnes undique fideles , i. e. totam Ecclesiam convenire necesse est *propter potentiorem principalitatem*. Sed, ais, si ante detectam contradictionem Ecclesiæ, particulares Ecclesiæ suam traditionem in Pontifica definitione non agnoscerent, num eidem ipsis tum non liceret contradicere ? Nondum liceret juxta Irenæum, ex quo didicimus certam regulam veræ fidei discernendæ ab errore esse Romanæ Sedis traditionem, quacum ob Primatus vim potentiorem omnes undique fideles et Ecclesias omnes convenire debent, et in qua semper ab his , qui sunt undique , conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. Ex hac regula ad eamdem traditionem Romanam exigenda est particularium Ecclesiarum traditio , ita ut , si qua cum ea non concordet , tamquam error repudianda sit. Explicare itaque non possunt adversarii , quomodo *omnis Ecclesia* possit reclamare, cum omnes particulares Ecclesiæ juxta ipsos , saltem ad obsequium externum , Pontificis sententia obligentur. Hic nodus Gordius est , quem hucusque nemo solvit. Verum

2° — Dicimus , particulares Ecclesias Pontificia definitione, si ea errori obnoxia est, ne ad silentium quidem et obsequium illud externum obligari posse , quoniam in exteriori hujusmodi obsequio , cui non respondeat obsequium et assensus mentis , simulationis et men-

dacii vitium esset, atque etiam Christi fidei proditio (1). Denique

3° — Si collegium Episcoporum dispersum vel congregatum unicus esset falli nescius veræ fidei judex et conservator, non autem Primas, tum pessime a

(1) Id egregie declarat Cl. Muzzarelli, in opusc. *L'infaillibilité du Pape*, IIe partie, p. 175, éd. Brux. 1837, ubi dicit : « Si le » Pape n'est pas infaillible, ses décisions n'exigent pas même ce » silence. Je le prouve. Si le Pape n'est pas infaillible, il peut » se tromper dans ses définitions, et je puis et même je dois les » examiner, pour m'assurer de la vérité, et si je trouve que ses » décisions me paraissent contraires à l'Écriture, aux conciles, » aux Pères, à la raison, je puis et même je dois croire le con- » traire. Si le Pape n'est pas infaillible, il peut, ou par erreur » ou par méchanceté, m'enseigner que Jésus-Christ n'est pas Dieu, » et dans ce cas, je puis et même je dois détester dans mon cœur » sa doctrine. Jusqu'ici vous me l'accordez, et vous ne pouvez » le nier. Or dans tous ces cas où je puis et même je dois rejeter » de mon cœur les décisions du Pape, je ne dois et je ne puis » observer un respectueux silence relativement à ces fausses dé- » cisions. Si le Pape m'enseigne, contre la foi, une erreur que » je connaisse, et que je déteste dans mon cœur, et que vous » veniez me demander, si je respecte la décision du Pape, puis-je » dire que oui, ou du moins garder sur ce point un silence res- » pectueux ? Si je dis que je respecte cette décision, j'ai déjà ap- » prouvé publiquement l'erreur, et je suis infidèle. Si je me tais, » vous pouvez facilement prendre mon silence pour une véritable » approbation, ou du moins pour une coupable incertitude, et » je n'ai pas pourvu suffisamment à ma réputation, ni à votre » conscience, ni à la gloire de Jésus-Christ. Je suis donc obligé » à vous dire clairement, que je ne crois pas à cette décision, » et je ne puis en aucune manière observer un respectueux et » fidèle silence. Ainsi si le Pape est faillible, il faut convenir » que sa dignité de Docteur (concil. de Flor.) ne sert à rien ni » à lui, ni à nous, ni à l'Église. Au contraire elle devient une » dignité ridicule, et c'est absolument comme si dans quelque » Université l'on donnait le titre de Docteur dans les deux Fa-

Christo suæ consultum esset Ecclesiæ; nam si Papa tantum *per provisionem* possit internam secum eamdemque fidem præcipere aut fidei solum exteriorem unitatem sive circa ipsam silentium, donec scil. Ecclesia dispersa vel congregata ejus definitioni consenserit aut dissenserit, tum profecto diu anceps et incerta fides existat oportet. Quis enim non videt, quam longum esset ac sæpe difficile, cumprimis hodie, illum Ecclesiæ dispersæ vel congregatæ consensum dissensumve certo rescire. Interim Christiani homines in summo errore, atque maximarum rerum ignoratione versarentur, ac sæpe malum, quod nascens facile opprimi potuisset, fieret patientia ac cœca exspectatione robustius. Quapropter fieri non potuit, ut a Christo *uni* Episcoporum collegio suprema, pure et integre conservandæ doctrinæ suæ gratia, concessa fuerit judicialis potestas; sed alius præterea ab ipso constitui debuit judex se solo erroris expers, qui ab omnibus omni tempore commode adiri posset, cujusque sententia, qua statim exortum malum avertat erroremque depellat, omnibus facile innotesceret. Sed quod providissimus Deus præ sua sapientia non potuit neglexisse, id eum in Petro ejusque successoribus Rom. Pontificibus præstitisse Evangelia clarissime testantur. Quare verissime dicimus, saltem etiam in Pri-

» cultés à un artisan, et qu'on prétendît que tout le monde » respectât sa dignité. Que l'Université lui confère, si elle peut, » la science avec le titre, et alors on écoutera respectueusement » et l'on admirera ses décisions; n'est-ce pas là ce que vous di- » riez? eh bien, j'en dis autant du Pape : s'il n'a pas reçu l'in- » faillibilité qui correspond à sa dignité de Docteur, je le respecte » comme Pape, mais non comme Docteur, etc. »

matu consistere supremum illud *activum principium*, quod vi sua absolute cogens omnibus diebus et in fide et in disciplina Ecclesiam perpetuo servet unam, sanctam, catholicam, et apostolicam, eam sustentando, confirmando, et pascendo concessa sibi potestate quodcumque ligandi atque solvendi; insuper merito censere nos posse putamus, systema de infallibilitate Pontificia in definiendis controversiis fidei ita solide constitutum: 1° scilicet ex vi ac ratione Primatus, quatenus de ea ex Scriptura et Traditione constat; 2° ex vero fine Primatus, atque medio ad eum finem necessario, efficaci, facili; ex absurdis dein et incommodis, quæ sequerentur, si finis ille non recte statueretur, neque idoneum ad illum medium concederetur. Omnia denique, quæ diximus, in clariore luce ponenda erunt, ubi de collegio Episcoporum et Episcopis ipsis, ut subjecto summæ potestatis ecclesiasticæ disseremus. Unum adhuc memorare ne prætermittamus, nempe adversarios perpetuo in ore habere, se collegio Episcoporum *soli* ultimam in fide auctoritatem, qua scil. Ecclesiæ perpetuitatem sartam tectam reddant, quasi coactos detulisse, ob errores puta Rom. Pontificum, in quos circa fidem ipsos sæpius fuisse lapsos contendunt. Magno numero hujusmodi lapsus ex historia numerant. Ad quos ego generatim dicam 1° errores illos lapsusque vel esse commentitios, vel 2° nullatenus in definitione fidei fuisse. Atque adeo nobis minime obsunt. Præterea ad eos, qui id singulatim tractarunt, infallibilitatis defensores consulendos remitto (1).

(1) Adisis præsertim Bellarm., *De Rom. Pontifice*, lib. IV, 11.

Adversariorum tandem sententiæ quam sera fuerint initia, et quomodo inter catholicos recipi atque in scholas induci et propagari cæperit, obiter supra cap. I indicavimus. Hic denuo affirmamus, dubitari non posse, quin illa Primatui tam inimica sententia, qua ejus insigniores prærogativæ ad collegium Episcoporum transferuntur, ipseque penitus deprimitur, inter catholicos Theologos irrepserit atque invalescere cæperit eodem illo infelicissimi schismatis tempore, occasione eadem, et ab iisdem auctoribus, imprimis Petro de Alliaco ejusque discipulo Joanne Gersone, a quibus sub Pisanam synodum et Constantiensem inducta fuit opinio de conciliorum generalium auctoritate supra ipsum Romanum Pontificem (1). Unum enim ex altero sponte sua sequitur.

Ad aliud jam adversi systematis gravissimum incommodum transeamus.

---

c. VIII, seqq.— Ballerin., *De vi ac ratione Primatus*, c. XV, § 6, seqq.—Veith, *De Primatu R. Pontif.*, sect. 2, § 44.—Soardi, *De suprema Rom. Pontif. auctoritate*, lib. II, § 1, seqq. — Billuart, *Cursus Theol.*, tom. VII, diss. IV, art. 6, § 2. — Ceteros plures silentio prætereo.

(1) Id testatur Gerson, *Lib. de potest. Ecclesiæ*, consid XII, scribens : « Ante celebrationem SS. hujus Constantiensis synodi » sic occupaverat mentes plurimorum literarum magis, quam » literatorum ista traditio (*nempe Papam esse infallibilem et supra* » *concilia etiam generalia*), ut oppositorum dogmatizator fuisset » de hæretica pravitate vel notatus vel damnatus. » — Superius considerat. X dixerat : « Benedictus autem Deus, qui per hoc » sacrosanctum concilium illustratum divinæ legis lumine, dante » ad hoc ipsum vexatione præsentis schismatis intellectum, libe» ravit Deus Ecclesiam suam ab hac pestifera pernitiossimaque » doctrina. » Ita doctrinam *antiquam* ex præjudicio gravissimo *novæ* suæ sententiæ vocat.

§ 27.

Adversariorum systema de necessario Ecclesiæ consensu, ut Pontificia in fide definitio vim absolutam internamque habeat, in caussis divinæ religionis ad scepticismum ducit. — Generale concilium, ejusque criteria.

1. Ab hac quæstione me breviter expediam. Dicimus : adversarios exigendo Ecclesiæ assensum, ut S. Pontificis in fide sententia sit ultima atque expers erroris, id efficere, ut vix unquam certum Ecclesiæ judicium haberi queat. Namque

1° — Consensus ille moralis Ecclesiæ dispersæ, quem recentiores Canonistæ Germaniæ juxta Gallicanos requirunt, quemque sufficere dicunt, difficulter commodo tempore nosci potest, ut supra vidimus ; quam magna dein difficultas ! si pars Episcoporum adhæreret Pontifici, pars altera dissentiret. Concilium generale vocares ? Sed Papa ejus celebrationi forte resisteret. Quod si autem illo invito cogeretur synodus, legatos suos non mitteret, neque acta concilii confirmaret, plurimosque haberet Episcopos sui sectatores, utpote quibus persuasissimum esset, Papam in quæstionibus fidei et morum esse infallibilem (1). Quale autem esset hoc concilium œcumenicum et quam exiguæ et nullius

(1) Incommoda hæc, atque ejusmodi alia plura vivide depingit Cl. Muzzarelli in opusc *L'infaillibilité du Pape*, IIe part., p. 183. — Vid. quoque Sardagna, op. cit. tom. III, art. III, controv. VII, n. 428. — Veith, *De infallibilit. Rom. Pont.* sect. II, § 40. — Zaccaria, *Antifebr. vindic.*, dissert. V, cap. IV, n. 5.

auctoritatis. Sed, si Ecclesia illud acceptaret, summæ, inquis, esset auctoritatis. Verum hic in circulo versaris, de quo statim dicemus.

2° — Propius ad pyrrhonismum accedere palam est eos, qui *a*) dispersæ Ecclesiæ auctoritatem, uti auctoritatem Papæ, vel erroris expertem esse negant, vel eam quidem in dubium non revocant, omnium tamen, ut ea rata firma sit, consensum postulant physice et absolute unanimem et expressum; vel qui *b*) contendunt, inferiorum quoque clericorum cum Episcopis judicium esse necessarium, imo etiam plebis, Tandem qui *c*) dicunt, in Ecclesiæ consensu ordinarie quidem consistere pro omnibus certam veritatem; nonnumquam tamen etiam in paucis, si videlicet ipsi opprimantur, eam residere posse; et hæc errantium omnium, qui semper sese opprimi conqueruntur, perpetua cantilena fuit.

3° Ob hanc opinionum varietatem ulterius progredi necessum fuit, atque eo deventum, ut dixerint multi de consensu universalis Ecclesiæ, quatenus necessarius est, ut judicium Rom. Pontificis ab omnibus habeatur ultimum atque irreformabile, vix ac ne vix certo constare posse sine concilio œcumenico; 1° quidem ob nimis diversas circa illum Ecclesiæ consensum auctorum sententias: 2° vero quoniam ipse consensus quæstio facti est: an omnes in dogmate concordent. De quo opus et labor est. Quare concilia œcumenica in controversiis fidei absolute necessaria esse proclamant (1). Hac in hy-

(1) Hinc Febronius dixit, *De statu Ecclesiæ*, cap. VI, § 8. « Parum firmam esse illorum sententiam, qui a plurima parte Episcoporum, definitioni Rom. Pontificis extra concilium adhæren-

pothesi, quod obiter nota, cum concilia œcumenica rarissima sint, et hoc præsertim tempore multis de caussis eorum convocatio sit difficillima, ac fere impossibilis, quam male Christus prospexisset unitati fidei, si post Apostolicam definitionem ad peremptorium habendum judicium exspectandum esset generale concilium ?— Sed mox ipsi destruentes quod ædificarunt, *ne generale quidem concilium absolute esse infallibile* admittunt, verum *conditioni et examini* id subjacere volunt, eo quod illegitima concilia et reproba dari possint. Quænam autem sint illæ conditiones seu vere œcumenici concilii criteria si quæras, varii varias assignant. Nonnunquam tales præscribunt, quales nullum umquam concilium habuit. Plerumque tamen sequenti modo statuunt : concilium generale non est infallibile, *nisi patres legitime convocati ita in eo se gesserint, ut dici debeant reprœsentasse totam Ecclesiam ; quod an ita*

» tium, ultimatum et irrefragabile judicium constitui existimant... » Sane ultimatum illud et a Divinitate participans inerrantiæ pri- » vilegium non tam singulis, quam corpori, atque adeo œcumenicis » conciliis reservatum videtur. » — Inde § VII, jam statuerat : » Generalia concilia absolute necessaria esse. » Ita Febronius juxta Gersonem, *De potest. eccles.* considerat. IV, opp., tom. II, col. 231, edit. Antv. — et Almanium, *De auctorit. eccl.*, ibid. in eodem tomo II Gersoniano cap. X, col. 1004, ubi ait : « Ecclesia » ut dispersa nullum actum jurisdictionis exercere potest, nec » aliquid sententialiter definire ; et sic infallibilitas in definiendo » ei competere debet ut congregatæ in concilio. » Admittit tamen Febronius ibid n. 5. « Constantem et uniformem Ecclesiæ obser- » vantiam nec falli nec fallere posse. » — Fere eadem docent Febronizantes, a quibus hodierni Germaniæ et Austriæ Canonistæ hic paululum recedunt.

de facto sit, declarat agnitio seu receptio Ecclesiæ (1) En ! quomodo in circulo ambulent vertigine pleni. Ecclesiæ dispersæ, aiunt, consensus Apostolicis definitionibus additus vi caret coactiva et peremptoria, sive de ejus consensu vix ac ne vix constare potest; unde conficitur, Ecclesiam dispersam pro statuenda infallibili fidei regula juxta ipsos ordinari ad concilium generale. Et hoc ipsum concilium, quum tantum *sub conditione* infallibilem fidei regulam statuere valeat, denuo et vicissim ordinatur ad Ecclesiam dispersam, ut illud legitimum esse constet : legitimum enim esse non probatur nisi ex acceptatione et consensu Ecclesiæ. At vero hæc ipsa Ecclesia, utpote dispersa, anchoram infallibilitatis non porrigit. Quid igitur concilia? Ecclesia dispersa ad generale concilium ordinari jam amplius absque manifesto processu in infinitum haud poterit, adeoque exspectandum erit longissimo tempore, usque dum diuturna Ecclesiæ dispersæ observantia concilii decreta consolidet. Verum præterea singulæ Ecclesiæ suspendere poterunt acceptationem concilii, donec consfet, universam Ecclesiam seu singulas Ecclesias, ex quibus simul sumptis universa componitur, id approbasse et acceptasse. Quæ igitur acceptare tenetur? Nonne acceptatio et natura et tempore prior ac posterior hoc modo erit ?

(1) Sunt verba Febronii, *De statu Ecclesiæ*, cap. VI, § 8. — Reliqua generalis concilii criteria : nimirum a) *integritas Patrum*, b) *historia colloquiorum et acta sessionum*, c) *comparatio concilii recentioris cum primis quatuor œcumenicis*, d) *approbatio S. Pontificis*, soluta vid apud Cl. Zallinger, *Lib. subsid. ad jus eccl. publ.* § 121. — Cf. etiam Cappellari, *Triomphe du St.-Siége et de l'Église*, tom. II, ch. XVII.

Et ita, ut suo tempore inquiebat Martinus Lutherus, « Via nobis facta est, enervandi auctoritatem » conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, » et judicandi eorum decreta, et confidenter confi- » tendi, quidquid verum videtur, sive probatum » fuerit, sive reprobatum a quocumque concilio. » — Atque hæc est illa opinandi libertas et incertitudo, ad quam tandem adversariorum systema ducit.

§ 28.

Pontificiæ potestati supremæ et ultimæ in fide atque in disciplina nullatenus obest collegii Episcoporum vel singulorum ejus membrorum qualitas judicis rectorisve intrà vel extra generale concilium, etiam si illa tamquam divino jure quæsita admitteretur; nec vicissim, huic illa.

Gravissima hæc est æque ac difficillima juris ecclesiasti publici quæstio, quippe quæ de ipso summæ in fide et regimine ecclesiasticæ jurisdictionis subjecto agit: quis nimirum eam a Christo habeat, vel qua saltem ratione illam exercere valeat. Adversariorum quidem doctrina est (quam verbis Cherier tradimus): sacram potestatem supremam, quam Christus Petro et Apostolis contulit, inhærere collegio Episcoporum, eam tamen etiam singulos Episcopos *habitu* in solidum et in universa Ecclesia, *actu* vero in portionibus sibi concreditis exercere, præcipuo autem modo illam exequi Primatem Ecclesiæ ad unitatem conservandam. Inde nihil est, quod nobis ipsi frequentius atque importunius objicere solent ac probare molestius

quam quod, nostra semel suscepta constitutaque sententia de Rom. Pontificis suprema atque se sola infallibili potestate, Episcoporum intra vel extra concilia generalia jura prorsus labefactentur, imo jam nulla ratio, nulla necessitas sit, cur in concilia generalia cogantur, aut cur œcumenicæ synodi celebrentur. Quæ enim, aiunt, Episcopórum partes seu munera tum in conciliis œcumenicis vel extra illa erunt? Adempta illis suffragiorum libertate, quæ profecto illis adimitur, si Rom. Pontificis auctoritas ineluctabilis est, Episcopi meri Pontificiarum constitutionum executores, atque simplices Rom. Pontificis consiliarii erunt, nullo autem judicis munere fungentur. Itaque vel adimenda est ceteris Episcopis judicandi facultas, negandaque generaliorum conciliorum utilitas, vel eversa ruat oportet Rom. Pontificis infallibilitas. Hoc est, quod adversa pars nobis hic velut Achilleum objicit. Nostrum proinde est, quæ conciliari non posse ita adversarii credunt, pro viribus secum invicem juxta sana principia componere (1); pro dignitate vero evolvere, nequaquam; nimia namque hic caussarum multitudo id minime sinit, nec patitur etiam præstituta opellæ huic nostræ brevitas. Confuse tamen agere nolo. Quare sermo sit—1°. De singulorum Episcoporum auctoritate. —2°. De generalis concilii potestate.—3°. De casu extremæ Ecclesiæ necessitatis: h. e. de casu Ponti-

(1) In simili tentamine rem neutiquam feliciter gessit Petrus De Marca. Cf. Orsi, *Dissert. de sententia Petri De Marca circa modum conciliandi summam Rom. Pontificis auctoritatem cum libertate suffragiorum in synodis œcumenicis*, tom. I, *De irreform. Rom. Pontificis judicio*. Rom. 1770.

ficis mortui, hæretici, vel schismatici. In tribus hisce punctis fere omnem divinæ constitutionis Ecclesiæ œconomiam juxta diversas auctorum opiniones dabimus.

§ 29.

Singulorum Episcoporum qualitas judicis in caussis fidei, supremam inerrantemque Rom. Pontificis in fide auctoritatem non destruit; hæc quoque illam patitur esse salvam, imo adjuvat. — Adversus deceptrices adversariorum ideas de ratione judicis atque examinis judicialis recta judicii notio.

1. A vera rectaque *judicii* notione incipiamus. Judicium apud Philosophos atque vi sua est, affirmatio de convenientia vel non convenientia idearum cum objectis. Apud Theologos vero atque in doctrina fidei est : affirmatio de convenientia vel non convenientia unius vel alterius propositionis seu puncti fidei cum doctrina a Christo revelata atque contenta in S. Scripturis et Traditione. Et ita judicium vel est philosophicum vel theologicum. — Divisio judicii theologici, quæ ad nos pertinet, est, in judicium privatum et judicium auctoritatis. Judicium auctoritatis vel est : 1° auctoritatis jure divino vel jure humano ecclesiastico quæsitæ ; — vel est 2° auctoritatis, aliis veritatem modo fallibili vel infallibili, simpliciter proponendi (sive missio seu potestas docendi aut prædicandi), vel est cum jurisdictione conjunctum (1). Qua ju-

(1) Jurisdictionis potestatem a potestate Ministerii verbi divini seu potestate ordinis non posse separari, vel potius in hac illam tamquam accessoriam necessario includi contendunt generatim

risdictione alii possunt cogi vel ad internam eamdemque cum judicante fidem, vel ad externam tantum observantiam sive obsequiosum silentium ad tempus obligari. Judicium auctoritatis, sive cui annexa est cogens jurisdictio, differt a judicio infallibili, namque v. g. Prophetæ fuerunt infallibiles, attamen alios, qui ratione abuti volebant, ad idem secum judicium cogere non poterant. Judicium vero auctoritatis sive jurisdictionis, si hæc sit jure divino quæsita, necessario est infallibile, quoniam alios non solum evidentia rei, sed etiam vi coactiva auctoritatis cogere potest. Inde nos ex suprema Rom. Pontificis in fidei definitionibus jurisdictionis potestate deduximus, eam in illis necessario esse debere infallibilem; quoniam absurdum esset asserere, eum, si errori obnoxius esset, totam Ecclesiam, ut in eodem secum errore hæreat, cogere posse. Judicium itaque infallibile tantum est affirmatio certa et ab errore immunis; judicium vero jurisdictionis, si hæc jure divino habeatur, non solum est affirmatio certa atque ab errore immunis, sed præterea potestas, quæ possit alios ad eamdem secum affirmationem cogere (1). Judicium privatum, quod rationis viribus

---

omnes recentiores Germaniæ Doctores, et præ ceteris J. A. Sauter in suis *Fundamentis juris eccles. catholicorum.*

(1) Inde apprime Doctor Duvallius, *De suprema Rom. Pontif. in Ecclesiam potestate.* Paris 1614, P. I, q. 1, pag. 74, dixit, notatu dignissimum esse, « Potestatem determinandi res fidei ad » jurisdictionem proprie non spectare; quia etiam Prophetarum » judicium, etsi nulla jurisdictione gauderent, erat infallibile : » auctoritas tamen proponendi fidelibus, et obligandi ad credendum, est potestas jurisdictionis, quæ cum non possit absque » infallibili judicio consistere, potestas hæc infallibiliter de fide

nititur, unusquisque, qui ratione utitur, emittere potest de rei cujuscumque convenientia vel non convenientia, de qualibet doctrina sive clara sive obscura ; quod tamen ut licite fiat , regulæ prudentiæ serventur oportet ; atque adeo , ut v. g. *absolute* sine restrictione tale judicium edi possit , certa et clara sit convenientia , de qua affirmatur, necesse est. Privata judicia in caussa religionis subjiciuntur judicio auctoritatis , quæ potest esse vel juris divini vel juris humani , conjuncta cum jurisdictione aut non cum ea conjuncta , seu simplex potestas docendi , judicandi. Perspicuum itaque est, omnem judicii theologici essentiam rationemque consistere in affirmatione de convenientia vel non convenientia cujuslibet doctrinæ cum revelatione , et præterea , ut sit judicium *auctoritatis*, requiri , a superiore ceu Deo , ceu homine acceptam facultatem sive missionem judicandi. Non solum veritas, sed evidentia seu claritas convenientiæ vel non convenientiæ pariter adesse debet , ut sit , si absolute feraratur , judicium prudens rectumque. Eam in supe-

---

» et moribus decernendi ad jurisdictionem dicitur aliquo modo » pertinere. » Et p. IV , q. VI , pag. 526. « Aliud est , inquit , » gaudere infallibilitate , aliud posse ad credendum quosvis fideles » positive adstringere : etsi enim in S. Pontifice illa duo conjuncta » reluceant , in aliis tamen prius absque posteriore stare potest : » sic ex hypothesi quidam a Deo specialiter illuminantur , et de » omnibus ad salutem necessariis interius a Spiritu S. edocentur , » quales multos fuisse constat in primitiva Ecclesia... Neque vero » repugnat exstare etiamnum aliquos , qui sic a Spiritu S. edocean- » tur , qui licet infallibilitatis donum habeant , alios tamen ad » sententiam suam sequendam , aut ad quæcumque ipsi credunt , » credenda , nequeunt obligare. »

riore adfuisse præsumendum est, donec de contrario manifeste constet. Deceptrix est igitur hujusmodi adversariorum de judicio idea, quasi necessario obscuritatem caussæ, ac dubitationem hæsitationemque judicis, prævium que examen cum jure et libertate dissentiendi posceret. Nam contra si ratione recte uti velimus, absolute et nulla adjuncta conditione non judicamus, nisi de re certo cognita; de caussa vero dubia et obscura hæsitantes inquirimus atque examen instituimus, ut clara certaque fiat, atque ita de ea recte judicari possit.

2. His claritatis gratia præmissis, ad ipsam adversariorum difficultatem veniamus. Juxta ipsos diœcesana Episcoporum singulorum jurisdictio sive rectoria potestas, docendi quoque missio atque caussas fidei judicandi facultas proxime a Christo Deo procedit. Huic autem, aiunt, docendi judicandique Episcoporum divino jure quæsitæ potestati obesset vel potius eam destrueret Rom. Pontificis infallibilitas; at hoc non potest admitti, ergo. — Respondemus: 1° etiamsi admitteremus, singulos Episcopos in sua cujusque diœcesi proxime a Christo rectores et judices esse constitutos, hanc tamen eorum qualitatem, ita divino jure partam, nihil obesse, uti non supremæ atque ordinariæ Pontificii Primatus in universam Ecclesiam jurisdictioni, ita nec ejus inerranter decidendi cunctas fidei caussas potestati. Enimvero sicuti tunc regent Episcopi suas particulares Ecclesias, subditi scil. Ecclesiæ Primati, ita quoque docebunt atque exorientes fidei quæstiones et controversias dijudicabant, judicio nempe non ultimo, sed provisorio

atque cum subordinatione ad eum, qui ipse quoque proxime a Christo constitutus fuit rector et judex et quidem *ordinarius* universalis Ecclesiæ. Unde profecto sequitur, Episcoporum jurisdictionem, et potestatem ministerii verbi divini, licet essent in stitutionis divinæ et quidem proximæ, subesse tamen juri Romanorum Pontificum, ita ut hæ episcopales ipsorum facultates in bonum Ecclesiæ possint ab iis limitari et restringi quoad usum et exercitium. Quæ limitatio ac restrictio ad materiam disciplinæ et ad jus ecclesiasticum referenda erit (1). Itaque si qua exoriatur fidei quæstio, de qua nulla etiamnum habetur Rom. Pontificis aut generalis concilii definitio, eam pro officio suo Episcopus debebit provisorie curare atque interea, prout in jure canonico de *Caussis majoribus* cautum est, et natura Primatus suadet, eam Romam deferre (2), ut inde ultimum de ea accipiatur judicium,

(1) Quæ omnia copiose probat P. Ballerinius, *De potest. eccl. SS. Pontif. et concil. gener.*, cap. I, § 5 et 6.

(2) Quid Episcopus in caussis fidei possit, Gersonis verbis, *Tractat. de examinat. doctrinar.* consid. 3, ita adversus Febronium explicat Zaccaria, *Antifeb. vindic.* dissert. V, cap. I, n. III. « Aliquæ sunt doctrinæ palam hæreticales apud omnes; aliæ dubiæ simplicibus, sed manifestæ sapientibus, et peritis; tertiæ veluti neutræ habentes pro se Doctores cum rationibus ad utramque partem probabilibus : nec in una tantum diœcesi, vel paucis, sed apud omnes christianos, aut longe plurimos. Est ergo veritas, quod in primis et secundis auctoritas inferiorum Prælatorum se exstendit, et ad suos tantummodo : in tertiis vero nequaquam, quoniam merito dicuntur *Majores caussæ fidei* propter difficultatem decisionis cum periculo scandali : ideo sunt ad sedem Ecclesiæ, vel ad sedentem in ea referendæ. » Pergit Zaccaria; « in tertii tamen hujus generis caussis, si de dis-

cui quilibet ubique christianus animo tenus assentiat, quodque ad incudem revocari aut reformari non amplius poterit. Et hoc est, quod ordo deposcit hierar-

---

» sitis nimium regionibus agatur, possunt Episcopi jure suo *provisorium*, quod aiunt, judicium ferre, ac, ne doctrinæ illæ » impune disseminentur, vetare, in ipsarum quoque auctores » inquirere; sin autem obtemperare detrectent, dum ab Apostolica Sede responsa exspectantur, eos in officio continere. Episcopi, dum ad Sedem Apostolicam de hujusmodi caussis referunt, » vere judices sunt, quin tamen ipsorum judicium vim ullam » habeat in utroque foro, dum Apostolici Præsulis sententia confirmatum non fuerit ». Accusatus a Febronio, ac si generatim docuisset judicium Episcopi circa res fidei nec in interno, nec externo foro obligare, sic respondit idem auctor « Hoc ego adseruj » de judicio Episcopi circa eas tantummodo res fidei, de quibus » inter doctos viros, num hæresis, aut erroris notam mererentur » controversia esset, antequam Rom. Pontifex, ad quem Episcopus de suborta fidei quæstione retulisset, sententiam ferret. » Ac de foro quidem *interno* res est explorata; numquid enim » adsentiri cogerer Episcopi judicio, ut, nisi facerem, peccati » reus essem? Ad forum externum quod spectat, si scandali periculum sit, aut si Episcopus me interea a meis docendis evul- » gandisque abstinere jubeat, quis dubitet, a me parendum Episcopo? Neque id negavi, aut negare poteram, qui Episcopum » in quibusdam ejus generis casibus posse non solum ad Pontificem » de erroribus judicando referre, sed dum Româ exspectatur res- » ponsum, providere, ne latius serpant, diserte adfirmaveram. » Quæ igitur de foro externo relate ad internum dicta a me sunt, » ita intelligi res ipsa postulat, ut re, quæ ad tertii generis a » Gersonio distincti doctrinas pertinet, ad Romanam Sedem delata veluti hæreticum nemo exterius ipse se gerere debeat, aut » ab aliis haberi». Namque, cum Sardagna loquor, *op. cit.* tom. III, art. III, controv. VII, n. 7. « Quamvis variæ hæreses fuerint » etiam a variis Episcopis condemnatæ, hæc tamen ipsorum sen- » tentia non erat dogmatica et irreformabilis, sed *doctrinalis* » tantum. »

chicus. Sin autem Pontificia aut generalis concilii definitio circa fidem præcesserit Episcopi judicio, cum illa nulli unquam errori subjecta, nulli emendationi obnoxia esse possit, certe ab ea licite dissentire, aut definita hujusmodi caussa hæsitanti animo examen instituere, uti ante eam poterat, jam non amplius poterit Episcopus ; quare huic Pontificiæ definitioni, quemadmodum a ceteris christianis omnibus, ita et a singulis Episcopis omnino erit adhærendum, quoniam profecto ab eo, cui ab ipsomet Christo dictum fuit : *confirma fratres tuos*, jam ipsi confirmati sunt.— Sed, inquiunt, tum saltem, singuli Episcopi in diœcesibus suis haud amplius fidei judices erunt, sed contrà Pontificiarum de fide constitutionum simplices executores tantum. Et si hoc ita foret, quid, quæso, inde incommodi? Nonne apud catholicos omnes certum est, Episcoporum singulorum potestatem circa fidem et circa regimen Rom. Pontificum potestati, quemadmodum conciliorum generalium juri, in bonum unitatis Ecclesiæ esse subjectam. Verum falluntur, qui hæc objiciunt : nam contra tum maxime fidei judices erunt ; quoniam de veritate ita infallibiliter cognita modo affirmantes, secure et absque ulla hæsitatione absolutum proprieque dictum judicium ferent, et dissidentes, si qui in diœcesibus suis sint, ad illam præjudicatam doctrinam validius adducent. Quid porro! Num infallibile judicium obstaculo est, quin alius judex, licet is necessario illud erroris expers judicium sequatur, atque jure seu facultate dissentiendi careat, de eadem re denuo judicium proferat? Quam crebro Ecclesia, uti ex historia Eccl. notum est, de ea-

dem doctrina certa atque sæpius definita adversus denuo novaturientes iterum judicium tulit? — Perspicuum ex his est, singulorum Episcoporum judicandi potestatem nullo tempore Pontificia infallibilitate destrui, quin potius eam inde multum juvari. Non itaque fuit sufficiens ratio, cur propter illam hanc adversarii negarent (1).

Resp. 2° Nos eorum sententiam probaturos, qui docent, sacrorum Antistites singulos particularium locorum et judices et rectores esse ex mero jure ecclesiastico tantum, accepta scilicet immediate a Rom. Pontifice, non autem a Christo, rectoria sua et judiciaria potestate. Juxta hanc sententiam objecta nobis ab adversariis difficultas paulo levius evanescit; facilior namque ita de illius auctoritatis episcopalis illi, a quo ipsa tota proxime procedit, subjectione habetur conceptus.

§ 30.

Romani Pontificis auctoritati, in regimine summæ atque in fide inerranti, non adversatur potestas collegii Episcoporum, pariter summa atque infallibilis; neque vicissim huic illa. — Conciliorum generalium utilitas. — Episcorum in conciliis jus judicii sive suffragii et examinis. — Novum examen de Pontificiis in fide definitionibus a conciliis institutum. Qua ratione?

1. Modo de relatione Rom. Pontificis ad generalia concilia agendum, in quibus et capitis et corporis

(1) Eadem fere de proprie dicto fidei tradit judicio Cl. Ballerinius, *De potest. eccl. SS. Pontific. et concilior. general.* cap. II, § 1, n. 5.

Episcoporum concurrit auctoritas. Sed prius hoc apprime *notandum* : non potuisse scilicet ab infinitæ sapientiæ Deo in Ecclesia sua duas diversas institui in duobus diversis subjectis residentes *summas* regendi potestates, ita ut altera alteri adversari posset et impedimento esse, quominus sese libere exsereret; quoniam profecto nequit Deus esse auctor discordiæ. Unica adeoque tantum ab ipso instituta fuit suprema auctoritas ad conservandum depositum fidei rectumque Ecclesiæ regimen constituendum. Hujus autem summæ potestatis quosnam Christus et qua ratione, ipse per sese proxime posuerit *subjecta*, nostræ disquisitionis materia est, et ob diversas auctorum sententias res magnopere difficilis. Nam, uti sæpius monui, alii stant pro sola Ecclesia, quatenus nempe ipsa fidelium omnem complectitur cœtum; alii pro solo Episcoporum collegio imprimis in unum collecto (1); (utrumque hoc systema confutare conati sumus); alii pro solo Papa : ita antiquiores; alii tandem pro Papa et simul pro collegio Episcoporum in unum collecto sive generali concilio : ita recentiores Pontificii Primatus defensores (2), juxta quos Papa *physicum quidem atque ordinarium*, collegium vero Episcoporum, Papæ conjunc-

(1) Hujus sententiæ patroni haberi possunt Gallicani, Janseniani et hodierni Germaniæ Canonistæ; quoniam larvam tantum supremæ potestatis Rom. Pontifici concedunt, dum eum collegio Episcoporum subdunt, ejusque potestatem provisoriam tantum errorique obnoxiam prædicant.

(2) Nimirum post Bellarminum Orsi, Charlas, Cartier, Petitdidier, Sfondrati, Sardagna, Soardi, Ballerinius, Zaccaria, Zallinger, Veith, Muzzarelli, Card. Litta, Devoti, Bianchi, Gerdil, Bolgeni, Gualco, etc.

tum , *morale et extraordinarium* subjectum est supereminentis in Ecclesia potestatis. Quisque , ut obiter dicam, facile perspicit, juxta eos, qui hic defendunt solum Papam , non item collegium Episcoporum , esse jure divino subjectum summæ in fide et in regimine potestatis , nihil nobis in re , de qua agimus , difficultatis adesse posse ; cum omnis tunc generalis concilii auctoritas in fide et in disciplina penitus pendeat ab auctoritate Rom. Pontificis. Horum sententiam ceteris solidiorem putamus. Verum ne de hoc modò contentio sit, demus ultro collegium Episcoporum in unum collectum, sive œcumenicum concilum , summa a Christo potestate esse donatum , et adversus Gallicanos atque Germaniæ Canonistas hanc sententiam hic modo propugnemus ; in quo etiam ea consistat vel consistere debeat , dicamus , examinando nimirum , qua ratione Rom. Pontifex et collegium Episcoporum sint *subjecta* supremæ ipsis proxime a Christo concessæ potestatis.

2. Juxta hodiernos itaque Pontificiæ potestatis defensores dicimus : Petrum ejusque successorem Rom. Pontificem *speciatim et singillatim* summa plenaque a Christo fuisse potestate donatum : quod palam est ex iis Evangelii locis , quæ cap. III explicavimus ; ceteros vero Apostolos eamdem summam potestatem non accepisse , nisi *conjunctim* cum Petro : idque liquet ex textibus quos adversarii , et ii quorum hic sententiam defendimus, summam in Ecclesia auctoritatem a Christo Apostolis eorumque successoribus Episcopis collatam continere dicunt (1). Si Christus seorsim a

(1) *Euntes ergo docete , — Sicut misit me pater et ego mitto vos,*

Petro illam in Apostolos potestatem contulisset, eadem videri posset auctoritas Petri, et auctoritas disjunctim a Petro omnium simul Apostolorum, sed cum et Petrus adesset cum reliquis Apostolis, quando omnes Christus ea potestate donavit, eadem ad ipsum quoque una cum illis sine dubio delata est. Itaque cum Apostolorum Princeps semel, atque iterum eandem summam potestatem obtinuerit, plane perspicuum est, quod ipse ejusque successor Rom. Pontifex utroque hoc jure a Christo donatus, et illam exercere solus, et cum aliis Episcopis conjunctim possit. Contra, cum Christus, quoties de concedenda Apostolis ceteris docendæ et gubernandæ Ecclesiæ potestate egit, semper omnes conjunctim cum Petro alloquutus fuerit, neminique inde Apostolorum ceterorum separatim potestatem ullam contulerit, profecto consequitur, collegium Episcoporum quoad exercitium saltem potestatis, qua a Christo donatum est, a Rom. Pontifice penitus dependere, eorumque doctrinam tum tandem certam fallique nesciam fieri, quum ipsa cum fide capitis, a quo ex Christi mandato ipsi sunt confirmandi, consentiens est. Verbo: textibus juris Ecclesiæ publici ex S. Scriptura ita secum compositis significatur, potestatem Petri ejusque successorum ab aliorum jure et consensu minime dependere, aliorum vero etiam in concilio potestatem in unitate cum jure Petri ejusque successorum debere consistere; ipsisque Petrum esse, quo fruantur suprema in Ecclesia potestate, eamque exercere va-

---

— *Quæcumque alligaveritis*, — *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, — *Super fundamentum Apostolorum*.

leant, *conditionem*, ut aiunt, *sine qua non*, quoniam illo renitente, aut eos ad exercitium dictæ potestatis non vocante nihil possunt, cum nihil nisi conjunctim cum Petro a Christo acceperint. Petrus igitur est a Christo constitutus caput et doctor rectorque ordinarius, ut singulis diebus custodiat fidem regatque Ecclesiam universam; ceteris vero Episcopis a Christo concessum tantum, ut postulante Ecclesiæ utilitate aut necessitate, idem id munus cum Petro et non sine illo præstent. Qua in re mira ac plane singularis divini consilii sapientia est. Christus sane, cui futura eadem ac præsentia erant, præviderat fore, ut in Ecclesia hæreses nascerentur, ideoque unum semper adesse voluit omnium caput, principem et judicem, qui statim sine aliena ope et consilio malum omne depelleret, ne diu toleratum radices ageret, eique sero remedium quæreretur. Sed et prospexit, fore aliquos animo ita obstinato et pervicaci, ut adhuc resistentes judicio Ecclesiæ capitis, sententiam etiam expressam quærerent omnium Episcoporum; quibus propterea cum suo capite conjunctis, hoc est, universo ipsorum collegio, in ejusmodi aut aliis utilitatis aut necessitatis adjunctis, eamdem dedit potestatem summam, quam eorum capiti seorsim ab ipsis contulerat. Non hæc a Christo gesta sunt, quasi ipse ad confirmandam et definiendam fidem erroresque profligandos necessarium putarit conventum omnium Episcoporum, nam huic rei satis ipse per unum Petrum consuluerat, sed ut perditis hominibus quærentibus totius Ecclesiæ judicium, hanc etiam præcideret tergiversandi viam. Ex quo intelligimus, generale

concilium ad nullam fidei controversiam, quantumvis obscuram, definiendam, *absolute* esse necessarium (1); quamvis valde utile esse queat, et interdum etiam pro temporum ratione, non ex defectu potestatis in Ecclesiæ capite, sed ad magis convincendos ipsa etiam facti evidentia pervicatiores, fieri aliquomodo necessarium possit.

3. Prima hinc generalium Episcoporum conventuum utilitas est, ut Pontificiæ in fide definitiones auctoritatem et vim coactivam majorem *externe* acquirant; ut ita tot Patrum concursu et consensu refractarii vel dubitantes veritatem facilius edoceantur, et revocentur ad sanum sensum, atque debitam obedientiam; vel si in errore adhuc persistant, contumacia eorum palam innotescente, tamquam hæretici ab omnibus habeantur.—2° Quia frequenter non de dogmate ipso, sed de hominibus ferendum judicium est, et ne qua hic sit injustitiæ vel errati suspicio, aut obtentus, examinanda est illorum doctrina, audiendæ rationes, colligenda suffragia; ut et procedendi ratio et senatorum numerus ac ipsius dignitas et majestas obstruant os loquentium iniqua. Cujus diligentiæ tum major est necessitas, cum hæretici sectatorum numero vel

(1) In quæstionibus fidei, ad eas dirimendas, absolute necessariam non esse concilii generalis auctoritatem testatur Augustinus probatque evidentissime antiquis exemplis, animadvertens plerasque hæreses sine concilio generali fuisse sopitas, *Lib. IV adv Epist. Pelagianor.* n. 34, ubi hæc ait: « Aut vero congregatione » synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla » hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit, cum » potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas neces- » sitas talis exstiterit. »

potentia sæculari, vel alia quapiam auctoritate pollent.— 3° Quandoque etiam potest esse utilis generalis synodi convocatio, antequam Pontifex definitivam sententiam pronuntiet, si, inquit Cl. Ballerinius, de quæstione dogmatica agatur adeo implexa et obscura, ut Papa judicet non esse decidendam aut non expedire ipsam decidere, absque consultatione synodi œcumenicæ, in qua Episcopis totius Ecclesiæ rem discutientibus, catholica Traditio et veritas facilius certiusque dignoscatur ab omnibus, et oppositiones contrariæ manifestius solvantur, aditusque præcludatur novis difficultatibus atque gravioribus scissuris, quæ Ecclesiam turbarent. — 4° tandem perquam utilia sunt generalia concilia *in materia disciplinæ seu reformationis* condendisque morum decretis. Si enim ex omnibus aut plerisque orbis christiani partibus Episcopi ad consultandum confluunt, clarius perspicitur, quid omnibus conveniat, et cunctis consentientibus suavius conduntur leges et acceptantur libentius atque fidelius executioni mandantur. *Ita recentiores Primatus cultores fere omnes.*

4. Ex his patet concilia generalia sua nullatenus utilitate frustrari, aut superflua fieri inde, quod summa etiam sit atque infallibilis Romani Pontificis potestas, ejusque dogmatica definitio. Et profecto hujusmodi Pontificia definitio ipsis vel præcedit vel non præcedit, sed conjunctim cum ceteris Episcopis in unum collectis editur. Si non præcesserit, res tum per se clara est, atque nemini dubia. Si contra jam edita prius a S. Pontifice fidei definitio ante convocationem aut definitionem generalis concilii fuit, cum tunc ea Pon-

tificia definitio vi sua ad unitatem sive ad eamdem cum centro fidem cogat omnes fideles et universam Ecclesiam, apposite ab adversariis quæri videtur, qui fieri tum possit, ut Episcopi adhuc maneant in concilio veri fidei judices, cum jure scilicet examinis et libertate dissentiendi. — R. Quare veri judices ipsi non manerent? Num judicis ratio in dissentiendi libertate collocanda est, ita ut cum obligatione assentiendi stare non possit? An non Episcopi in Chalcedonensi concilio judices fuerunt, tametsi S. Leonis definitioni contra Eutychis errorem antea editæ, et ab Episcopis tum orientis tum occidentis subscriptæ, et ita catholicæ Ecclesiæ non solum tacito, sed etiam expresso consensu approbatæ, ex nostrorum quoque adversariorum sententia assentiri opus esset? Nonne judices fuerunt Apostoli et Seniores in Hierosolymitano concilio, cum omnes, ut notavit S. Hieronymus (1), in S. Petri sententiam transierunt, etiamsi idem S. Petrus Spiritu S. certissime afflatus controversiam ante omnes definierit ea utique sententia, contra quam profecto licite nemo poterat reluctari? Nonne, ut alia omittam, in ipso Trid. concilio veri judices fuerunt Episcopi quoad ea quoque fidei decreta, quibus damnarunt hæreses a novatoribus repetitas, et pluries etiam antea damnatas, de quarum justa condemnatione nemo poterat ambigere? Si adversarii non negant, Episcopos in hisce circumstantiis fuisse veros judices, licet de antea definitis non possent dubitare, vel ab iis dissentire, non ergo judicii proprie dicti in ma-

(1) *Epist.* 75, *inter August.* n. 3.

teria fidei essentiale est, ita posse Episcopos animo de veritate adhuc dubio et fluctuante de æquitate definitionis explorare, num hæc Scripturæ S. ac Traditioni sit consona nec ne, ut inde illam recipiat, si consonam reperiat, repudiet vero, si consentaneam minime judicet; non est, inquam, de judicii natura, ita posse Episcopos in utramlibet partem sententiam ferre, ut si id quandoque non possint licite, veri judices nec sint, nec haberi queant. Itaque patet, profecto omnem, uti supra diximus, judicii rationem penitus consistere in affirmatione cognitæ veritatis, et præterea, si judex polleat jurisdictione, tum ejus vim et potestatem sitam esse in decisiva affirmatione, seu, uti loquuntur, in voto decisivo, quod est auctoritas ita ferendi sententiam, ut sibi subjectos ad parendum obligare et cogere possit (1). Insuper nota sequentia : 1° Sicut fieri nequit, ut Petri ac successorum ejus fides vel momento desinat esse illa Petra, cui in bonum unitatis ex Christi institutione tota Ecclesia catholica, seu totius Ecclesiæ catholicæ fides superstructa est, sive in cujus fidei unitate debet consistere; ita fieri etiam non potest, ut eadem Ecclesia, et Episcopi catholici, saltem plerique, desciscant ab illa Petra, et dissentiant ab unitate fidei Petri ac successorum ejus, sive in concilio, sive extra concilium; etenim institutionem Christi Episcopi catholicæ Ecclesiæ infringere et mutare

(1) Præclare admodum Fenelonius Archiepiscopus Cameracensis in *Instruct. pastorali*, diei 20 April. a. 1715, explicat, qua ratione assensus Episcoporum Pontificiis definitionibus adhibitus et adhibendus judicii naturam induat, exemplisque subscriptionum, quæ generalis concilii decretis pariter subjiciuntur, confirmat.

aut deserere minime possunt. Casum itaque oppositarum Primatis et Episcoporum de fide doctrinarum, si promissa Jesu, queis omnis insistit Ecclesia, non fallunt, numquam eventurum teneo, quum hoc pacto ipsam Ecclesiam in diversas partes abire oporteret; 2° Cum collegium Episcoporum ex dispositione et voluntate Christi non habeat auctoritatem judicandi neque infallibile judicium, nisi quando cum Petro conjunctum est, consequitur, judicium Episcoporum in unum collectorum, ut sit judicium summæ inerrantisque potestatis, non posse esse diversum a judicio Capitis; quod si qui dissentiant, eorum ejusmodi judicium extra Petram et centrum catholicæ unitatis, imo contrarium unitati fidei, quæ Apostolicæ Sedi debetur, nullo jure coactivo gaudebit, jurisdictione nulla, quam ipsi solum in unitate cum Petro et cum successoribus ejus habent, ut in eam unitatem conspirent et collineent Tandem 3° auctoritas judicii a Christo corpori Episcoporum concessa non potuit dari nisi ad *verum* jam cognitum vel inquirendo cognoscendum, ideo etiam illorum judicium infallibile fore necessario voluit; inde auctoritas judicandi et libertas a veritate dissentiendi, si a Deo dicuntur simul concessa, secum pugnant. Qui hæc tria de natura corporis Episcoporum rite perpenderit, facile intelliget illius infallibilitati et auctoritati neutiquam obstare summam errorisque expertem Ecclesiæ Capitis potestatem, sed hanc illam potius juvare. — At, dicunt adversarii, saltem *jure examinis*, quod in jure judicii tamquam medium in fine includitur, præcedens infallibilis Pontificia definitio concilium privaret. Respondemus :

illa Pontificia sententia privaret jure examinis ejusmodi, quod animo minime dubio institueretur, ad ipsam jam cognitam veritatem aliunde confirmandam? minime gentium; privaret jure examinis quod hæsitanti animo ad ipsam veritatem inveniendam fieret? Omnino. Verum hic non privatio juris, sed illius jam exercendi perfecta habetur inutilitas. Num obtento fine, adhuc medium utile? Parum itaque sanus esset, qui collegium Episcorum ita comparatum esse posse diceret, ac is, qui accensa lampade solem illustrare aut in media luce veritatem quærere.

5. Adversus *absolutam* Pontificiarum definitionum inerrantiam atque vim se sola cogentem ulterius multum insistunt adversarii in eo, quod novo examini sæpe illæ fuerint ab Episcopis et generalibus conciliis subjectæ. Ad id Respondemus : si *a*) ab adversariis hic sermo est de novo instituto examine cum inquirenti ac dubitanti animo de ipsa jam definita veritate, id 1° *jure fieri non potuisse*, ut sponte sua sequitur ex principiis supra a nobis stabilitis. Nec enim jure fieri potuit a singulis Episcopis, quoniam ipsi, ut diximus, vel auctoritatem judicis rectorisve jure divino non habent vel saltem talem non habent, quæ Rom. Pontificis auctoritati non subjiciatur. Nec etiam a collegio Episcoporum, quippe quod non absolute, sed sub conditione, atque tunc tantummodo suprema in Ecclesia potestate a Christo donatum est, quando cum Petro ejusque successore concors conjunctumque esset : 2° id, quatenus *in quæstione facti versatur*, numquam habuisse locum; quod aperte probarunt cl. recentiores Primatus defensores. Nam de eo, quod injuria factum

fuisse legitur a conciliabulis hæreticisve Episcopis, nec adversarii nec nos solliciti sumus. — Sin contra b) adversarii loquuntur de eo examine denuo instituto, cui libertas defuerit dissentiendi a præjudicata veritate, sive de examine confirmationis, instructionis vel prudentiæ, quo quis editam definitionem recte expendere, argumentis etiam ex Scripturis vel Traditione petitis confirmare, oppositos errores detegere et confutare, ipsamque definitionem suo assensu suaque auctoritate comprobare satagit, tum nos quoque cum ipsis dicimus, Episcoporum et conciliorum examini edita jam prius Pontificia fidei judicia denuo fuisse aliquoties submissa atque deinceps submitti posse (1). Sed quid inde contra nos?

---

(1) Ita S. Leo, licet *Epistola* sua dogmatica *ad Flavianum* hæresim Eutychis confixisset, et, dicente Flaviano, nullum amplius necessarium foret generale concilium, idque vel magis tum, postquam Episcopi in toto oriente illi epistolæ subscripsissent, tamen studio pacis citius componendæ a Marciano Imperatore generalem synodum adhuc indici Chalcedone, atque a Patribus Chalcedonensibus novum examen iniri permisit, non quasi dubia esset fides sua dogmatica Epistola definita, atque hæc cum libertate dissentiendi *retractari* in synodo posset (quod pluries prohibuit. Cf. *Epist.* 90 al. 73, c. II, — *Epist.* 93, c. II, et *Epist.* 94); sed ut illis Episcopis, qui de Leonis definitione ambigebant, per tractatum et discussionem satisfacerent, eosdemque catholicum sensum, quem minus intelligebant, edocerent, et in fide confirmarent. Quod et fecerunt Patres; idque examen utile experti sunt, quod S. Leo quoque notavit in *Epist. ad Theodoretum* (*Epist.* 120, al. 93, c. I), dum ita ait « Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius » retinetur, dum quæ fides prius docuerat (in laudata Epistola), » hæc postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis » officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas : et ad

§ 31.

Recta œcumenici concilii notio, quæ sit, aut qualis esse debeat juxta recentiores Primatus defensores. — Conciliorum convocatio; præsidium; confirmatio. — Concilium-ne Papa superius; an contra?

1. *Adversariorum de generali concilio notio* ita concepta est : ut *a*) corpus Episcoporum solum, dispersum vel in unum locum congregatum, gaudeat suprema et ultima a Christo accepta potestate; ut *b*) Papa hujus corporis *dispersi* sit quidem membrum præcipuum et necessarium, *congregati* vero, nullatenus, quippe quod juxta ipsos a generali concilio abesse, illique, etiam invitum, subesse potest, imprimis in casu erroneæ aut hæreticæ sententiæ, in casu schismatis et violationis canonum aut reformationis morum; ut tamen *c*) Primati, uti Ecclesiæ capiti sive præcipuo episcopalis collegii dispersi membro competat singulorum illius collegii membrorum convocationem, præsidium et confirmationem (1). Quousque hæc jura juxta ipsos valeant,

---

» majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se » accipit exerendi fiducia, ut vincatur adversitas. » Cum ad hunc finem tantum ejusmodi *libertas et examen* spectent, ut, quæ definivit S. Pontifex, Episcopi confirment in concilio et oppugnantes edoceant, et ab errore reducant, facile intelligitur, quatenus *sic summorum servetur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.* Qui hæc de libertate examinis cum potestate dissentiendi interpretantur, præcedentia, quæso, quæ huic obstant, attente considerent. Cf. Ballerin. *De vi ac rat. Primatus,* cap. XIII, § 13. — Muzzarelli, *De auctorit. Rom. Pontif. in concil. gener.* tom. II, c. XIII. — Card. Orsi, *De Rom. Pontif.,* lib. I, c. X, art. II.

(1) Hæc jura, quæ plerumque ut jura Primatus essentialia ad-

supra vidimus. Est itaque juxta adversarios œcumini concilii hæc stricta notio, nimirum : majoris saltem partis Episcoporum ex orbe christiano universo in unum *localis conventus*, atque fidei vel disciplinæ *decretum*. Huic suæ sententiæ adversarii plerumque ut fundamentum ponunt errorem Richerii, ita ut systema doctrinæ ipsorum fere his quatuor propositiobus comprehendatur. 1° Claves a Christo immediate datæ sunt non uni sed unitati, hoc est, non soli Petro, sed principaliter Ecclesiæ; inde 2° concilium generale totam Ecclesiam *representans* est supra Papam; et 3° Papa quoque non est se solo, seu ante Ecclesiæ assensum infallibilis in definiendis fidei et morum dogmatibus; 4° tandem Papa non est Dominus, sed dumtaxat custos et executor canonum in conciliis generalibus statutorum; et ab ipso potest, imo aliquando oportet, appellari ad generale concilium. Hoc adversariorum systema funditus ruit, si, prouti fecimus, Primatus probetur instructus suprema et ultima potestate proxime ab ipso Christo instituta.

2. Contrà juxta recentiores Primatus Pontificii patronos, qui unius et individuæ summæ potestatis, quæ in Ecclesia a Christo existit, duo subjecta admittunt, unum *physicum*, alterum *morale*, hæc vera proprieque dicta generalis concilii notio esse debet, ut nomine œcumenici concilii proprie nihil aliud in-

---

struuntur, nonnulli ex adversariis cum Protestantibus civili imperio adscribunt, atque inde pro nostra ætate Primatum Rom. Pontificis prorsus superfluum esse dictitant. Cf. Roskovàny, op. cit. § 67, seqq.

telligatur, quam conjunctio vel unitas collegii Episcoporum, non ex *loco* dumtaxat, sed imprimis *ex consensu et sententia* circa decretum de fide vel disciplina; unde juxta ipsos Episcoporum in unum collectorum *consensus* cum Papa solùm est generale concilium, est exercitium supremæ potestatis. Ratio est, ipsorum unitas, conjunctio sive consensus quoniam cum Papa, et viceversa hujus consensus cum ipsis est *conditiosine qua* ipsi non habent, non exercent supremam illam et ultimam in fide et regimine potestatem a Christo institutam, sive sine qua hujus *morale* subjectum non fiunt (1), etenim Christus Petro soli seor-

(1) Ita diserte docet P. Ballerinius, *De potestate eccl. SS. Pontif. et concil. gener.* cap. II, § 2, n. 9. « Infallibilitas definitionum » et doctrinæ fidei (i. e. *activa*), quam Christus promisit Ecclesiæ » docenti, seu Episcopis docentibus Ecclesiam, cum fuerit promissa Apostolis non separatis a Petro, sed una cum Petro, cui » omnes quoque Apostoli ratione Primatus, debebant in unitate » fidei adhærescere; promissionem quidem hujusmodi ad Episcopos Apostolorum successores extendi certum est, quando una » cum Petro, seu cum Petri successoribus in unitate ejusdem fidei » definiunt et judicant : non autem omnino certum pariter est, » num Episcopi in hujus fidei unitate definierint, eaque infallibilitatis prærogativa gaudeant, nisi ex consensu vel confirmatione S. Pontificis constet, ea Episcoporum judicia cum Apostolicæ Sedis fide convenire. » — Zaccaria, *Antifebr. vindic.* Diss. V, c. VII, n. 7. « Pontifex infallibilis est *absolute;* sunt » infallibilia concilia, sed *adjecta conditione*, si nempe his Rom. » Pontificis confirmatio accesserit. » — Bolgeni, *L'Episcopato* ed. 1837, vol. II, c. XI, art. 1. « *Infallibilita dei concil. generali*, » Giova qui rammentare, che un concilio di Vescovi per quanto » sia numeroso e adunato da tutte le parti del mondo cattolico, » non sarà mai generale ed ecumenico, se in esso non intervenga » l'influsso, l'autorità, ed il consenso del Papa. Si è gia mostrato

sim ab aliis omnem, ceteris vero Apostolis sine ipso nullam concessit aut esse voluit potestatem.

3. Exinde sequentia legitime inferri possunt, nimi-

» che il corpo episcopale non è mai tale, nè rappresenta la chiesa » di Gesù Cristo senza il suo capo S. Pietro. » (Cf. c. X, art. III, et c. XI, art. III.)—Omnium clarissime Muzzarelli, *Propositio pro adstruenda infallibil. SS. Pontific., Opusculor.* tom. IV, pag. 224, ed. Brux. dicens : « Distinguendus est valor intrinsecus decre- » torum concilii de fide, ab eorumdem valore extrinseco, sive » infallibilitatem intrinsecam et absolutam decretorum, ab obli- » gatione, quæ omnes omnino fideles urget ad ea acceptanda ut » regulam fidei infallibilem. Et quoad primum, commune est apud » Romanos decreta conciliaria non esse infallibilia et certa de » fide, nisi accedat consensus SS. Pontificum. Non enim habetur » pro decreto concilii œcumenici, scil. pro decreto corporis mo- » ralis Ecclesiæ, decretum illud, in quod non consentit caput; » et aliunde corpori morali Ecclesiæ vivo et integro infallibilitas » promissa fuit, non membris simpliciter a capite disjunctis et » separatis. Hunc autem consensum SS. Pontifices pluribus mo- » dis præstare possunt, scil. personaliter præsentes in conciliis » et subscriptione manu propria signata; sive per organum suæ » legationis ad hunc finem deputatæ; sive per litteras a sua sede » missas ad concilium; sive per Bullas datas ad universam Ec- » clesiam, quæ solemnem confirmationem continent. Quocumque » autem modo ex recensitis SS. Pontifices consensum præbeant » dogmaticis conciliorum decretis, hæc absolute et intrinsece erunt » infallibilia. » — His addam Cabassutii testimonium apud Barruel, *Du Pape*, vol. I, cap. IV, ubi ait : « Constans, est catholicorum » persuasio, posse errori succumbere concilia quantumvis nume- » rosa, nisi approbatione supremi totius Ecclesiæ capitis ac Petri » successoris muniantur, cui Christus ipse promisit : *Super hanc* » *Petram ædificabo Ecclesiam*, et pro certo adseruit : *Ego rogavi* » *pro te.* »—Notandum, prædicti auctores omnes adsertionem suam inde probare, quoniam in Scripturis, imprimis apud Math. ult. v. 19, et cap. XVIII, 18, summa in fide et regimine auctoritas Apostolis ceteris non datur, *nisi conjunctim cum Petro.*

rum : 1° Singulorum Episcoporum in eumdem locum *convocationem* ad eum spectare, qui in universos Episcopos dispersos solus eam potestatem habet, qua singulos ad id possit adigere. Etenim ante singulorum Episcoporum localem conventum nondum adest concilium sive *morale subjectum ;* quare unus Papa summa tum in omnes auctoritate gaudet. — 2° Solus Episcoporum localis in unum conventus proprie concilii nomen non meretur, licet a multis, improprie scilicet, ita vocetur. Ratio est, quia non localis singulorum Episcoporum, quæ tantum consiliorum facilius atque utilius communicandorum gratia instituitur, sed intellectuum atque voluntatum eorum cum Papa *conjunctio* circa fidei vel disciplinæ decretum proprie generale constituit concilium. Ante illum igitur consensum nondum morale, sed physicum dumtaxat supremæ potestatis adest subjectum. Cujus proinde erit, et ejus quidem solius, in conventu in ceteros cum auctoritate præsidium.—3° In solo fidei et disciplinæ decreto ob capitis et ceterorum Episcoporum concordem sententiam veri concilii habetur auctoritas : disputationes igitur et collationes, quas inter se habent Episcopi ; rationes quoque et argumenta, quæ ab iisdem afferri solent ad explicandam et illustrandam definitionem, hæc omnia et id genus cetera ab ipso fidei et disciplinæ decreto secernenda sunt, atque ut Episcoporum colloquia accipienda, in quibus etiam nonnulla interdum admisceri contingit, quæ in varias reprehensiones incurrant. — 4° Quantuscumque esset numerus, Episcoporum, qui in eumdem locum convenissent, cuncti, quotquot tandem essent,

seorsim a Papa sumpti , huic tamen subessent, sive infallibilitate *activa* et jurisdictione summa , quæ duo nonnisi corpori morali *vero* a Christo collata sunt , non gauderent (1). Quare ut ipsorum singu-

(1) Quo illud Damasi P. spectat de Ariminensi concilio (*Epist.* 3, tom. I Epist. Rom. Pontif.) « Neque enim præjudicium aliquod » nasci potuit ex numero eorum , qui apud Ariminum convene- » runt : quum constet , neque Rom. Episcopum , cujus ante om- » nes fuit expetenda sententia... hujusmodi statutis consensum » aliquem commodasse. » Si itaque 600 præsulum conventus hic in Ariminensi concilio sine Papa nihil potuit , si Mediolanense et Ephesinum II concilia etc. nihil potuerunt , qualis tandem Episcoporum cœtus sine ipso aliquid valebit? De Conciliis hujusmodi acephalis , vel deiis etiam, quæ legitime convocata fuere , sed ante vel post ipsorum definitionem , intelligenda sunt , quæ dixit Leo X in Constit. *Pastor æternus* , apud Labb. *Col. concil.* tom. XIV , col. 311 , ed. Paris. quæ Const. in Sess. XI œcumenici concilii Later. V lecta et approbata fuit , quaque contrarium decretum Basilcensis concilii reprobavit his verbis : « Solum Rom. » Pontificem pro tempore existentem , *tamquam auctoritatem su-* » *per omnia concilia habentem* , conciliorum indicendorum , trans- » ferendorum , ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, » nedum ex S. Scripturæ testimonio , dictis SS. Patrum , ac alio- » rum SS. Pontificum, Sacrorumque Canonum decretis, sed propria » etiam eorumdem conciliorum confessione manifeste constat. » Inde, licet hic non proprie dicta habeatur definitio fidei , qui tamen collegio Episcoporum, etiam sine Papa , summam auctoritatem tribuunt , a temeritate magna juxta Bellarm. tom. II , *De concil.* lib. II , c. XVII , excusari non possunt. Cui consentit Andreas Duvallius, *De Rom. Pontif. potestate,* part. I , quæst. VII , dicens : « Etsi opinio , quæ stat a partibus conciliorum , in ratione opinio- » nis a temeritate vacet,... a temeritate tamen inobedientiæ vix » potest excusari ; fovet enim ut plurimum in obedientiam et » dissidia multa , magnosque tumultus semper in Ecclesia exci- » tavit. » — Vide plura apud Ant. Charlas , *Tractat. de libert. Eccles Gallic.* tom. II et III.— Cœl. Sfondrati , *In regali sacerdot.*

los , ita quoque in omnes localiter conjunctos sive collective sumptos potestatem Papa habet ; atque ita sumptis conciliis Papa superior est. Sed cum Jesu promissa non fallant , atque Ecclesia infallibilitate *passiva* gaudeat , falsa profecto hæc adversariorum hypothesis sit oportet, qua , juxta perversum suum systema , Episcopos omnes et ceteros fideles in fide vel disciplina ex adversa parte contra Papam stantes supponunt. — 5° Papa quoque non est supra concilium *stricte* sumptum , stricto enim sensu concilium nihil aliud significat , quam consensum et unitatem

---

lib. II. — Gallum Cartier , *De infallibilit. et suprema auctorit. SS. Pontific.*—Adversariorum systemati non tantum Catholici , sed etiam ex Protestantium cœtu duo Cl. viri notam absurditatis inusserunt , nimirum Laur. Moshemius , *Dissert. de Gallorum appellationibus ad concilium universæ Ecclesiæ unitatem Ecclesiæ visibilem tollentibus* , ubi ait : « Quod universis sive singulis Ecclesiis præesse Pontificem dicunt , non universæ Ecclesiæ , id » tam mihi scitum videtur , ac siquis affirmaret , membra quidem » a capite regi , non vero , quod ex membris corpus ; aut urbes » quidem omnes , villas et præsidia subesse regi , non vero quæ » his continetur, ipsam provinciam ; » et Samuel Pufendorffius , *De habitu religionis christianæ ad vitam civilem* , dicens : « Concilium » esse supra Papam Thesis est..... Sed quod isti quoque hanc » propositionem asserere velint , qui sedem Romanam omnium » Ecclesiarum centrum , ac Papam œcumenicum Episcopum agnoscunt , id quidem non parum absurditatis habet , cum status » Ecclesiæ Romanæ monarchicus sit , illa autem Thesis meram » Aristocratiam oleat. » — De vera origine et novitate opinionis , quæ conciliis generalibus auctoritatem et jus tribuit coactivum in SS. Pontifices , et quam præterea inanis et rationi Primatus repugnans sit distinctio inter Episcopos distributive aut collective sumptos ab adversariis ingesta , præter ceteros consule P. Ballerinium , *De potest. eccl. SS. Pontific. et concil. gener.* cap. IV et V.

collegii sive corporis Episcoporum cum capite et capitis cum corpore circa fidei vel disciplinæ decretum : sive concilium proprie sumptum est unum summæ potestatis morale subjectum, se ipso neque superius neque inferius. Vana inde est, quæ superiori ætati prorsus ignota, tantum sæculo XIV, cum totus pene orbis diro schismatis incendio flagraret, in illo æstu animorum orta est disputatio, num Pontifex concilio præstaret, an potius eo esset habendus inferior ; et hoc facile intelligunt omnes, qui veritatem quærunt, non autem sese rapi in errorem præjudicata opinione sinunt (1). — 6° In ipsa conjunctione sive con-

(1) Rectissime hic loquitur auctor *Febronii abbreviati cum notis adv. neotericos Theologos et Canonistas*, edit. Bruxell. 1829, in Præfat. p. XLIV dicens : « Quæstionem, *utrum Concilium sit supra* » *Papam*, vel contra *Papa sit supra concilium generale?* ad inutiles » disceptationes rejicio : utraque propositio aut falsa idea de con- » cilio aut æquivocatione laborat. Papa non est supra — nec » infra — sed in et cum concilio generali, quia sine præcipua » parte Ecclesiæ, sine capite tota Ecclesia et concilium generale » nec est, nec intelligi potest : plus non probant ea omnia ar- » gumenta, quæ pro auctoritate conciliorum generalium adducun- » tur Nihilominus Papa est supra consilium quodcumque maxi- » mum, quod Pontifici vel non fuit unitum, vel in quo capitis » auctoritas non intercessit : id ipsum demonstrant vicissim ea » momenta, quibus Rom. Pontificis auctoritas supra concilia pro- » pugnatur. » — Sic quoque Cl. De Maistre, *Du Pape*, chap. III, « Partout où il y a un souverain, et dans le système catholique » le souverain est incontestable, il ne peut y avoir d'assemblées » nationales et légitimes sans lui. Dès qu'il a dit *veto*, l'assem- » blée est dissoute, ou sa force colégislatrice est suspendue ; si » elle s'obstine, il y a révolution. Cette notion si simple, si » incontestable, et qu'on n'ébranlera jamais, expose dans tout » son jour l'immense ridicule de la question si débattue, *si le*

sensu corporis Episcoporum cum Papa et hujus cum illis consensu sive approbatione, circa fidei vel disciplinæ decretum, totum, ut diximus, consistit concilium. Necessitatem hujus Pontificii consensus seu confirmationis *in ipso concilio* edendæ, ut existat concilium, et ut ejus decretum sit *conciliare*, ipsa generalium conciliorum communis notio atque natura demonstrat. Præter hunc Pontificis consensum, qui omnino necessarius est, ut collectum Episcoporum collegium activam infallibilitatem absolutam et intrinsecam vimque omnes cogentem habeat, alia Pontificia confirmatione ordinarie opus est post concilium[1], qua id valorem et obligationem extrinsecam obtineat sive ut constet omnibus, concilium fuisse vere œcumenicum et consensum Rom. Pontificis accessisse, proindeque conciliaria esse decreta et vere infallibilia, eaque ut credendi vel agendi regulam ab omnibus omnino fidelibus acceptanda. Hæc solemnis et publica concilii confirmatio sive promulgatio diligenter distinguenda est ab alia minus solemni confirmatione sive approbatione, quæ, uti diximus, in ipso concilio ad ejus essentiam necessaria est; hanc enim adversarii, quo

---

» *Pape est au-dessus du concile, ou le concile au-dessus du Pape?* » Car c'est demander en d'autres termes, *si le Pape est au-dessus* » *du Pape, ou le concile au-dessus du concile?*..... On peut dire » néanmoins, dans un sens très-vrai, *que le concile universel est* » *au-dessus du Pape*; car comme il ne saurait y avoir de concile » de ce genre sans Pape, si l'on veut dire que le Pape et l'épis- » copat entier sont au-dessus du Pape; ou, en d'autres termes, » que le Pape *seul* ne peut revenir sur un dogme décidé par lui » et par les évêques réunis en concile général, le Pape et le bon » sens en demeureront d'accord. »

eam tamquam necessariam rejicere valeant, plerumque cum solemni Pontificis approbatione ad universam Ecclesiam, confundunt (1). — 7° Cum generale concilium sit subjectum morale unius ejusdemque summæ et infallibilis potestatis a Christo in Ecclesia institutæ, et cum inde ipsius circa fidem vel disciplinam decretum actus sit corporis moralis, ægre profecto concipitur, quomodo ille actus non sit actus Aristocratiæ, sed potius Monarchiæ et Aristocratiæ simul, seu Monarchiæ mixtæ Aristocratia, uti hic volunt recentiores Primatus Pontificii defensores; non enim tum Rom. Pontifex exercet

(1) Perspicue hæc exponit Cl. Muzzarelli, loc. cit. p. 228, seqq. ubi docet: « Omnes (Romani) mordicus tenent, quod Epis» copi dissentiente ab iis Rom. Pontifice pro tempore existente » et qui sit certus et indubius, non gaudeant dono infallibilitatis » circa fidem, neque in concilio, neque extra concilia; quia » promissio perpetuæ assistentiæ a Domino J. C. facta est corpori » episcopali vivo et integro integritate essentiali, ideoque cor» pori, e quo detruncatum non fuerit caput, ideoque Episcopis » unitis et non separatis in fide a Rom. Pontifice, ut clare erui» tur ex Math. cap. ult. v. 16, et seq... Ecce assertio quæ est » fundamentum et scopus alterius propositionis de necessitate con» firmationis Pontificiæ, ut complementi adæquati et essentialis » ad infallibilitatem concilii œcumenici... Quoniam certitudo » hujus consensus universaliter et perpetuo haberi nequit, nisi » ipse S. Pontifex publice illum manifestet; hinc ordinarie requi» ritur, ad hanc certitudinem adstruendam, aliqua publica et par» ticularis ipsius confirmatio, in qua suum consensum et appro» bationem universis fidelibus ad perpetuam rei memoriam declaret. » Hoc autem non excludit infallibilitatem absolutam et intrinse» cam decreti conciliaris de fide, si vere et realiter ille adfuit con» sensus Rom. Pontificis, quocumque modo fuerit sufficienter ex» pressus, et quamvis nondum fuerit universæ Ecclesiæ notus per » epistolam aut constitutionem ipsius Pontificis. »

summam a Christo institutam potestatem, ut ejus subjectum physicum, quod ideam subjecti moralis excludit, sed ut membrum collegii Episcoporum sive subjecti moralis; ut membrum, inquam, necessarium quidem, sive, ut vulgo loquuntur, tamquam caput, attamen ut membrum. Itaque ii, qui, ut Evangelica loca sæpius citata secum concilient, Petrum semel et iterum summa potestate a Christo fuisse donatum asserunt, primum ut caput, postea ut collegii apostolici membrum, sive cum physicum et morale subjectum supremæ potestatis statuunt, nunc Mornarchiam nunc Aristocratiam admittere se fateantur oportet. Sed de verbo ne disputemus; ad graviora transeamus.

§ 32.

Utrum collegium Episcoporum, imprimis in unum collectum (generale concilium), sine Papa habeat et exercere valeat summam fallique nesciam a Christo in Ecclesia institutam potestatem: 1) *mortuo Papa;* — 2) *in casu schismatis sive Pontificis dubii et incerti;* — 3) *in casu hæretici Papæ, vel* — 4) *violatoris canonum.*

1. Ad celeberrimum tandem scopulum hunc appulimus, ad quem nos allidi summopere cupiunt adversarii nostri. Namque, aiunt, si Papa supremam et ultimam potestatem in fide et in regimine haberet, essetque præterea ceteris Episcopis simul sumptis *conditio*, sine qua ipsi non habeant neque exercere valeant supremam infallibilemque in Ecclesia institutam potestatem, tum profecto mortuo Papa ob exortas

hæreses aut alia scandala tempore diuturni interregni aut vivo ipso, sed hæretico, dubio vel canonum violatore, in summam Ecclesia sine remedio adduceretur necessitatem et indubitatam ruinam, sive, quod absit, ab ipsomet Christo Ecclesiæ suæ sat sufficienter non esset provisum. Atque inde adversarii, imprimis ob illos necessitatis casus atque ex necessitate remedii, Constantienses sequuti, imo ultra progressi, cum Basileensibus summam Ecclesiæ auctoritatem in fide et regimine ad collegium Episcoporum, etiam extra casus extraordinarios, detulerunt; Papæ vero provisoriam solummodo in singulas Ecclesias subditamque collegio Episcoporum potestatem reliquerunt. Et hic, quod sane valde mirandum, plerique etiam ex recentioribus Primatus defensoribus in prædictis necessitatis casibus mortis scilicet vel schismatis aut hæreseos S. Pontificis, *Aristocratiam extraordinariam* in Ecclesia admittentes, pœne cum adversariis sentiunt; in suo systemate et in divina Ecclesiæ constitutione de subjecto potestatis exceptiones statuunt, quas ipsorum, ut aiunt, naturalis ratio ex necessitate remedii postulat; sua ratione contra fas omne in casibus extraordinariis supplere volunt, quod Christus aut non prævidisse, aut neglexisse juxta ipsos videri debet (1).

---

(1) Post Concilium Constantiense et Basileense *perfectissimam*, hoc est, *in omni casu supremam et absolutam* R. Pontificis Monarchiam plures, imprimis *Cajetanus*, *enucleate* exponendam et defendendam susceperunt; at præter Cl. Alb. Pighium ex sententia rem gessit nemo. Cf. Auctor (Bossuet), *Appendicis ad def. decl. cleri Gallicani* lib. III, cap. IV et VI. — Cum eodem hoc auctore, ibid. c. IX, eos, qui in Monarchia Ecclesiæ exceptiones ita leviter

Constantes nobis dicimus, collegium Episcoporum sine Papa etiam in extraordinariis illis casibus potestate summa et infallibili non gaudere; cujus adserti ratio est: quia ab una parte id in divina constitutione Ecclesiæ ab auctore suo non fuit expressum; et ab altera, divinam positivamque constitutionem Ecclesiæ ratione sua velle perficere nefas est homini; præterea remedium ab adversariis assignatum, quantum est incertum, tantum est inefficax atque difficile; deinde casus illi extraordinarii et necessitates magnam partem ab adversariis finguntur vel augentur; tandem remedium aliunde quærendum, qualiter ab ipso Christo provisum est. Antequam expendamus singulos extraordinarios casus supra memoratos, insistentes repetimus, de remedio in casibus extraordinariis adhibendo si sermo est, ut hoc a quopiam præstari posse dicatur, jus ipsius

---

admittunt, sic lubens urgeo, dum ait ille : « Quod vero conciliis » œcumenicis datam *universim* a Christo immediate potestatem » nolunt, haud equidem intelligo, quo pacto stare possit cum » iis, quæ ipsi asserunt. Nam ultro confitentur, merito a concilio Constantiensi pronuntiatum esse, potestatem conciliis a » Christo immediate datam his certe casibus, si Papa sit hæreticus, vel schismaticus, vel dubius. At ego lubens quæsivero, » quo loco Christus in illis speciatim casibus eam potestatem » synodo immediate contulerit? certe in Scripturis nullam invenimus a Christo in Ecclesiæ ministros sive dispersos, sive congregatos collatam potestatem, nisi ubi dicit, *Quodcumque ligaveritis, quodcumque solveritis* etc., et, *Si Ecclesiam non audierit*, » et, *Qui vos audit, me audit*, aliaque ejus generis : quæ qui » dixerit ad hæretici aut schismatici, aut omnino dubii Pontificis » casum merito pertinere, rideatur. » Non cum minori vi hic agit Episcopus Tornacensis Gilbertus de Choyseul in *Epistola sua de potestate ecclesiastica*. Insulis 1688, pag. 13, seqq.

proprium antea probandum esse ; neque enim solo remedii, quantumvis necessarii, nomine jus legitimum ei vindicari postest, qui per se ex certis probationibus eo jure careat. Atqui collegium Episcoporum sejunctim a Papa *per se* nulla auctoritate gaudere § superiori ex Evangelio probavimus, ergo etiam non in extraordinariis casibus ea gaudet, nisi exceptio ex eodem divino fonte certo probetur. Hæc una ratio, si nulla alia præsto esset, ad disjiciendum systema illud ex necessitate ductum posset sufficere (1).

2. *Quid igitur in casu mortis Papæ ?* Certum est, Primatus potestatem, mortuo Papa, in Ecclesia, ut in subjecto non remanere. Contraria doctrina est error Richerii (2). Attamen cum illa Primatus potestas in Ecclesiæ bonum sive ejus conservationem et propagationem a Christo sit instituta, profecto quemadmodum Ecclesia, ita et ipsa perpetua erit, sive perpetuo illi a Deo concedenda, qui legitime in Ecclesia Pontifex summus constituendus est. Pariter certum, Ecclesiam

---

(1) Vim hujus argumenti ducti ex natura positivæ et arbitrariæ societatis, qualis Ecclesia est, omnium optime sentivit Cl. Ballerinius, *De potest. eccl. SS. Pontif. et concil. gener.* toto cap. IX — Profecto confitendus esset potius defectus constitutionis ejusmodi societatis, quam ratione humana eum velle supplere.

(2) In *Libelli sui de politica et eccles. potest.* cap. I *Demonstratione*, n. 11, ubi hæc ait : « Quod autem urget Bellarminus, » Papæ auctoritatem ab extrinseco, id est, a Deo, non ab Ec- » clesia manare, verum quidem est quoad primam institutionem, » quia nemo alius a Christo eam potuit instituere : negatur vero » quoad conservationem, propagationem et collationem : ex quo » fit, ut sede vacante Ecclesia novum Pontificem ejusdem omnino » auctoritatis cum Petro deligat : eique sacerdotium Christi, a quo » omnis potestas Ecclesiastica profluit, conferat. »

non posse illam Primatus potestatem, quæ ipsi, uti *subjecto* non inest, mortuo Papa alteri committere. Præterea collegium Episcoporum, ut supra probavimus, sine Papa non est quoque morale subjectum supremæ et ultimæ in fide et regimine potestatis. Quomodo itaque Ecclesiæ est-ne sufficienter a Christo provisum mortuo Papa : 1° *in fide* adversus exorituras tempore diuturni interregni hæreses, cum fidelibus regula fidei proxima, quæ est auctoritas in Ecclesia *active* infallibilis, subtracta sit; 2° *in regimine*, cum summa rectoria potestas in Ecclesia nulla amplius resideat, qua adversus scandala et morum relaxationes consuli posset, Ecclesiæque administrationem rite rectequecurari ? Respondemus ad hæc breviter : Ecclesiæ, etiam mortuo Papa, sufficienter esse a Christo provisum : *a*) quia Ecclesia, prouti a capite distinguitur, a fide deficere non potest, quippe quæ passive infallibilis est (1).—*b*) Episcopi quoque singuli aut particularia concilia exortos tempore mortis Papæ errores modo, quem supra explicavimus, condemnare poterunt, hoc est, judicio primo, non ultimo. — *c*) Regimen Ecclesiæ quod attinet, curabitur illud juxta eas leges, quas vivus Pontifex aut solus aut in generali concilio cum

(1) Hinc Cl. Veith, *Richerii systema confutatum*, § 11, n. 10. « Quamvis Ecclesia, mortuo Papa, non possit nova dogmata fidei » infallibiliter definire, semper tamen retinet infallibilitatem *pas-* » *sivam*, ut vocant, hoc est, numquam potest in errorem dog- » matis jam definitis contrarium ruere, nec tota simul errorem » fidei contrarium recipere ob perpetuam Spiritus S. adsistentiam » ipsi promissam. Itaque mortuo Papa non moritur, nec deficit » Ecclesia, quamvis quoad regimen externum aliquo modo tum » sit in statu imperfecto, donec novum caput visibile eligatur. »

collegio Episcoporum tulit, ab iis, quibus a jure, vel ab ipso Pontifice hæc facultas delegata fuerit.—*d*) Tandem quod præcipuum hic remedium est, in *divina Christi providentia* positum est, cui sane incumbit curare, ut perpetuo fundamentum adsit, si perpetuo stare velit ædificium. Qui vult finem, debet velle media. Christus Ecclesiam suam perpetuam voluit et quidem perpetuo Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam, non profecto per quæcumque media, sed unice per Petrum fundamentum Ecclesiæ, per Petrum fratrum in fide confirmatorem, per Petrum omnium pastorem. Aliud medium in divina sua constitutione non indicavit. Homini nefas est aliud substituere. Quid ergo? Christi inde profecto erit, si finem a se intentum velit obtinere, de medio ad hunc finem a se determinato, perpetuo curare, ut præsto semper adsit. Quod et fecit. An per octodecim et ultra sæcula hucusque suo muneri unquam defuit Christus? An aliquando collegium Episcoporum ex necessitate remedii summam potestatem sine Papa exercuit? Aut igitur de divina fallique nescia a Christo Ecclesiæ suæ facta promissione: « Se illi semper adfuturum et præterea adversus Petram portas inferi non prævalituras » diffide, aut activum, quod ipse solum posuit, principium conservationis Ecclesiæ semper præsto futurum firmiter crede. Insuper addam, principium ab adversariis admissum: ex necessitate scil. remedii dari potestatem, non tantum naturæ et indoli positvæ arbitrariæque societatis ecclesiasticæ adversari, sed etiam esse in executione nec facile, nec efficax, neque satis determinatum. 1° *non facile* : difficulter enim concilium

generale congregatur ; hodie vix aut ne vix congregari posset ; 2° *non efficax* : plures enim tale concilium non agnoscerent ; 3° *non satis determinatum* , nam si concilium generale ex omnibus undique Ecclesiæ partibus congregari non posset , ex eodem principio sequeretur summam inerrantemque potestatem ex necessitate remedii habere posse etiam ipsa concilia particularia, aut singulos quoque Episcopos , et sic in infinitum ad Gersonianam tandem usque vetulam (§ 4).

3. Ad tres illos famosos in Constantiensibus decretis recensitos extraordinarios casus pervenimus , in quibus necessarii remedii nomine jus œcumenicis conciliis asserendum creditur in summos Pontifices. Breviter singulos expendemus. Primum *de casu Papæ canonum violatoris moribusve corrupti :* an in hoc casu collegium Episcoporum sine Papa in unum collectorum summam potestatem habeat vimque in ipsum Papam coactivam ? omnes Pontificiæ auctoritatis vindices mordicus negant , idque evidenter ex principiis supra stabilitis conficitur ; etenim Papa et solus , et simul cum ceteris, sed ipsi non sine illo potestatem supremam jure divino seu immediate a Deo habet ; ipsis itaque non potest esse potestas in Papam invitum , nisi id ipsorum jus jure quoque divino certum esset atque probatum; quod a nemine hucusque præstitum. Unde manet illud pervulgatum principium : Papam non judicari a quoquam , ejusque crimina solius Dei judicio reservari. — Præterea remedii necessarii nomine jus concilii generalis supra Pontificem cur adstrueres , cum remedium hujusmodi per se non satis efficax , et aliunde difficillimum sit ac fere impossibile ? Ut efficax esset,

et effectum pareret, quem necessitas requireret, jus ipsius concilii deberet esse omnino certum, de quo nemo posset ambigere, Si enim Papa non credat, se subesse concilio; quid sperari poterit remedii ex concilii decretis? Sed non solum certum deberet esse conciliorum generalium jus, ut necessariam reformationem induceret, verum præterea ipsorum congregatio facilis esse deberet et expedita. Nam reformationis caussæ frequentiores sunt, et identidem urgere ab adversariis creduntur, generale autem concilium cogere, quo necessaria reformatio inducatur, hoc præsertim tempore difficillimum est, ac fere impossibile; sicque remedium necessarium deesset Ecclesiæ, aut, ne desit, jus in Papam etiam invitum, remedii caussa, non solis generalibus conciliis esset tribuendum, sed etiam particularibus, quæ promptius et facilius cogi queunt. Id autem si ex necessitate remedii adversarii nequeunt admittere, eo quod Papa vi Primatus quibuslibet particularibus synodis præstet, tum neque ex eodem remedii necessarii titulo tribuendum erit concilio generali, cum ille ex eodem Primatu non tam particularibus, quam generalibus synodis sine ipso collectis sit superior.

4. *De casu Pontificis dubii et incerti:* In quo nimirum nullius ex contendentibus de Pontificatu electio et jus, instituto congruo examine, legitimum et certum detegi potest. Unicus ejusmodi casus in Ecclesia locum habuit, tempore scilicet synodorum Pisanæ et Constantiensis, cum duo primum, deinde tres tamquam Pontifices sese gerebant et magnis hinc et hinc suarum cujusque partium studiis decertabant (1). Prædictæ sy-

(1) Probalius tamen verus Pontifex erat Urbanus VI, cui Gre-

nodi ex necessitate remedii œcumenica sese esse sine Papa et in Spiritu S. legitime congregata concilia universam Ecclesiam repræsentantia, atque inde immediate a Christo potestatem habere totis viribus proclamarunt, cui, uti aiebant, quilibet, cujuscumque » status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire » tenetur in his, quæ pertinent ad fidem et exstirpa» tionem dicti schismatis et reformationem generalem » Ecclesiæ Dei in capite et in membris.» (concil. Const. sess. IV). Hic origo adversariorum sententiæ est, quam etiam nonnulli celebres auctoritatis Pontificiæ vindices sequuntur quoad Pontifices dubii incertique juris, quos congregatis in unum Episcopis subjiciunt, ut hinc remedium difficiliori schismati afferatur. Hanc sententiam principiis supra stabilitis inhærentes nullatenus admittere possumus. 1° Quia *Papa dubius* vel est *Papa nullus* vel verus est Papa et legitimus, sed inter plures ob involutas facti jurisve circumstantias ignotus. In primo casu quidquid in ipsos agerent collecti Episcopi, non contra veros Pontifices esset, sed contra eos, qui cum non sint veri Pontifices, primatu carent, indeque qui non solum multis, sed et paucioribus collectis Episcopis in synodis v. g. particularibus haud dubie subsunt. Si vero inter duos vel tres de Pontificatu contendentes unus ex illis verus

---

gorius XII post alios duos legitima electione successit. Licet enim Urbani electio a Cardinalibus peracta, incussi metus titulo vocata fuisset in dubium, ratihabitio tamen subsequens, et multo magis nova ab iisdem peracta ipsius posterior electio, et quadrimestris pacifica possessio, aliaque a Raynaldo allata ad an. 1376, illam luculentissime vindicant.

revera Pontifex est, qualis probabilius tempore schismatis occidentis fuit Urbanus VI, et solum lateat ob facti vel juris difficultates, quisnam ex illis verus sit habendus : tum profecto eædem rationes, quibus probavimus, certum Pontificem non subesse Episcopis quantumvis multis in unum collectis, probant etiam non subesse eum, qui inter duos vel tres incerti vel dubii juris Pontifices verus reapse et legitimus est, quamvis ignoretur et dubius incertusque apud homines habeatur. Suprema namque in Ecclesia potestas nemini subdita, ex jure divino inest cuivis Pontifici, qui verus et legitimus est, etiamsi ob ancipites circumstantias non constet, quis inter contendentes sit legitimus et verus. Hæc quidem ignorantia potest excusare eos, qui verum reipsa Pontificem sibi invincibiliter ignotum debitis officiis non prosequuntur; at sicut simplex ignorantia nihil juris adimit, aut adimere potest ei, qui reipsa verus et legitimus Pontifex est, licet aliis ignotus, ita quoque nihil juris in ipsum tribuit, aut in positiva arbitrariaque societate tribuere potest Episcopis quantumvis multis. Numquam itaque non inesse dicenda erit jure divino suprema potestas vero legitimoque Pontifici, sive certus sit sive incertus, donec exceptio ex eodem jure divino probetur. Verum ea probata hucusque a nemine fuit. Id, quod modo diximus, persuasum quoque fuisse Patribus concilii Pisani, probat Cl. Ballerinius (1); et profecto, licet ipsi de duobus contendentibus incerti juris Pontificibus agerent, non tamen crediderunt, ne in hoc quidem casu cer-

(1) *De potest. eccl. SS. Pontif. et concil. gener.*, cap. VI. § 5.

tum sibi jus competere eos deponendi, nisi ipsos tamquam schismaticos atque hæreticos ipso facto a semetipsis depositos judicassent excidisse a Pontificatu, quo solo ab illorum Patrum jurisdictione eximebantur. Adeo, implexis quoque illius schismatis circumstantiis, obtinebat vetus sententia; nec putabatur tempore schismatis difficillimi, remedii titulo, posse a collectis sine capite Episcopis contendentes omnes deponi, in quibus unus ligitimus et verus reipsa Pontifex nemini suberat, nisi aliquo alio nomine, falso quidem, juxta ipsos e Pontificatu excidisset.—Quia 2°, quod etiam ex dictis sequitur, collecti in unum sine capite Episcopi, in quibus ex titulo necessitatis, juxta patronos adversæ sententiæ, tum esset suprema potestas, nullum in ejusmodi casu, tempore scil. schismatis occidentis, quod per 30 annos et quod excurrit duravit, remedium præstare potuerunt, et (si ex præteritis futura augurari licet) nunquam præstabunt; unde nec efficax est ab adversariis assignatum remedium. Ratio est: quia collectis ita sine capite Episcopis in Pontificem verum, licet incertum non est auctoritas ex jure divino certa atque omnibus probata, atque ita ab iis ipsis, qui de Pontificatu contendunt et ab iis, qui eis adhærent, in dubium vocari poterit; et sic inde remedii opportuni nihil sperandum. Hac sane de caussa synodus Pisana, licet œcumenicam se perhiberet nihil prorsus effecit: non enim ab ea schisma exstinctum, sed potius auctum est, cum post depositionem duorum contendentium elegerit tertium, unde Ecclesia in duas partes antea divisa, in tres dein descissa fuit. Concilium quoque Constantiense,

quod in prædicto schismate post Pisanum fuit congregatum, prætenso suo jure non magis profuisset, nisi alia extrinseca media atque subsidia, quæ ad jus coactivum concilii supra omnes contendentes asserendum allegari non possunt, accessissent, ex quorum complexu pax et unitas desiderata, Deo disponente, restituta tandem fuit et schismati impositus finis. Nimirum Gregorius XII, qui probabilius verus erat et legitimus Papa, sua sponte cessit; Joannes vero XXIII suæ depositioni consensit, qui consensus in jure positivo cessioni æquivalet. Quod Benedictum XIII attinet, cum ad finem schismatis paucissimi illi in Paniscola adhærerent, evidens erat, illum non fuisse verum et legitimum Papam. Quare Martinus V legitime electus fuit, et schisma desiit, non quidem Constantiensis synodi auctoritate, ex necessitate remedii parta, sed prorsus divina providentia, cujus est profecto, ex promissa in Evangelio perpetua assistentia, ubi humana deficiunt omnia subsidia (1), Ecclesiæ suæ remedium præstare.

5. Superest *casus hæreseos*, in quam Pontifex,

(1) Utilissimam tamen esse in casu plurium de Pontificatu contendentium reor ex omnibus obedientiis frequentissimorum Episcoporum convocationem, 1° initio schismatis, cum quæstio fere pertineat ad facta et circumstantias electionis, quæ in iisdem initiis facilius detegi possunt, ut dijudicetur cujus ex contendentibus legitima fuerit electio; 2° ut ex plurimorum saltem consilio quærantur et proponantur viæ et media ad finiendum schisma magis idonea, queis contendentes debeant acquiescere, si non jure Episcoporum congregatorum, certe naturali atque divino, quæ præcipiunt, ut quisque proprio commune et publicum unitatis bonum præponat.

privato judicio deceptus, tamquam privatus homo, ut aiunt, incideret, pertinaciter propugnando aliquid contrarium cuipiam articulo fidei evidenti aut definito, quod hæresis proprium est. Verum hic casus vel potest, vel non potest evenire. Si non potest evenire, ut mox probabimus, falsam assumeret hypothesim, qui ulterius insisteret. Si posset evenire, tum ipso hæreseos facto Papa vel privaretur Primatu, vel non privaretur. Si Papa, a fide definita devius sive hæreticus, a Pontificatu penitus decideret, quoniam nempe ipse ex hæresi ab Ecclesiæ fundamento, quod est fides, et consequenter ab ipsa Ecclesia sejunctus atque præcisus esset, nihil inde consequeretur, quod adverso systemati faveret, nam eo casu Episcoporum sine capite in unum collectorum auctoritas, si quam habent, exerceretur in eum, qui Pontifex amplius non esset, nec Primatu frueretur. Sed cur in præsentissimo tali omniumque maximo fidei periculo, quod ex Pontifice hæresim privato judicio propugnante impendens est, et diuturniores moras non patitur, remedium ex Episcoporum undequaque non ita facile congregandorum convocatione tantum velint exspectare, et non potius ex Cardinalibus, qui sunt a consiliis Pontifici, vel ex Romano clero vel Romana aliqua synodo? Hi namque etiam orbi universo catholico declarare poterunt, Papam esse hæreticum atque a Pontificatu excidisse. Nonne hic promptius efficaciusque remedium erit?—Sin contra Papa hæreticus a Primatu non excidat, et eum non excidere meo quidem judio certum est (1), sed remaneat Pon-

(1) Cujus ratio est : quoniam in jure divino, quo jure Papa

tifex summus, summa in Ecclesia potestate præditus, undenam tum Ecclesiæ remedium erit? Ab Episcopis sine Papa collectis, ut eum a Pontificatu deponant? Sed ipsi id jure non possunt, et si ita possent, non facile, non efficaciter id præstarent, ut supra vidimus. An a divina Providentia? nimirum Papam illum hæreticum statim ac quasi invitum convertendo, vel ipsum e vivis eripiendo, vel tandem, sicut verba quondam posuit in ore asinæ Balaam, ita extorquendo ex illius corde hæretico veræ fidei confessionem fratrumque in fide confirmationem, quam ex imposito sibi a Christo munere præstare debet? At hoc, inquit Bel-

---

suam Primatus potestatem habet, ejusmodi casus privationis non exprimitur; neque ab homine privatio talis induci potest. Hæcce simplex et naturalis ratio, ex natura divinæ eæque positivæ Ecclesiæ cosntitutionis deducta, invicta est. Num præterea jure positivo ecclesiastico hæresis se sola, aut se sola semper privat jurisdictione ab homine acquisita? Nequaquam. Quod igitur homo potest permittere, Deus non poterit? Contrarium principium, quod etiamnum plures Theologi (non tamen ut certum) recipiunt (Cf. Bellarm. *De Rom. Pontif.* lib. II, c. XXX), tempore schismatis occidentis inventum fuit, ut ita contendentes de Pontificatu, qui *jure* a nemine deponi poterant, aliunde eo privati declararentur. Nimirum ipsi non acquiescentes cessioni necessariæ ad tollendum schisma, pertinaciter fovere ipsum schisma dicebantur, et qua tales tamquam hæretici traducebantur, ac si articulum *unam sanctam Ecclesiam* impeterent. Hinc in depositionis sententia contendentes *ex schismate et hæresi* ab Ecclesia præcisi, et ipso facto depositi præferuntur. Ita Ballerinius, *De pot. eccl.* c. VI, § 5. — Quod hæresis se sola et *ipso facto* non privet jurisdictione jure divino acquisita, neque etiam semper, saltem hodie, si canonico jure parta est, vid. Collet, *Continuatio prælect.* t. V, *de fide*, — Billuart, *De fide*, diss. IV, art. III. — Regnier, *De Ecclesia*, t. II, p. II, sect. II, c. IV, pag. 639. — Lequeux, *Manuale compendium jur. can.* tom. I, tract. I, sect. I, c. IV, art. II, n. 127, etc.

larminus (1), violentum esset, et non secundum morem providentiæ Dei suaviter disponentis omnia. Nullum-ne igitur Ecclesiæ remedium erit ? Magnopere hic sudant Theologi, et cum unusquisque in suo sensu abundare voluerit, in varias etiam partes abierunt, alii alia fluctuanter remedia tradentes, sed quod omnibus probatum esset, quod facile, quod efficax, nullus præstitit. Inde ex illis, imprimis ex auctoritatis Pontificiæ vindicibus, multi necessitate remedii, si malum evenire posset, atque difficultate, si contingeret, commoti, ex fiducia, quam corde gerunt, Dei suaviter disponentis præsidio casum illum omnium difficilimum numquam eventurum pie crediderunt, credendumque ab aliis censuerunt (2). Quibus nos quoque adsentimus, verum non pietate dumtaxat, sed solidis etiam momentis innixi : nimirum 1), quoniam si Papa hæreticus fieri posset aut pertinax in errore adversus aliquem fidei articulum evidentem aut definitum, cum ipse summam auctoritatem nihilomninus retineret, nullum esset, uti diximus, adversus malum istud efficax Ecclesiæ remedium. Hæc quidem ratio ultra rationis postulatum, ne scil. Pontifex hæreticus umquam fiat, in positiva societate fere nihil probat. At 2) providissimum Ecclesiæ conditorem huic rationis postulato satisfecisse, atque infinita sapientia sua malum illud omnium maximum reipsa præcavisse, ostendunt Scriptura, Traditio

---

(1) *De Rom. Pontif.* lib. IV, c. VI.

(2) Cfr. Bellarm. *De Rom. Pontif.* lib. II, c. XXX, et lib. IV, c. II et VI. — Ballerin. *De potest. eccl. SS. Pontif. et concil. gener.* c. IX, § II. — Suarez, *tom. I, de fide Disput. X*, sect. VI, n. 11.

et experientia. — *a*) *S. Scriptura* apud Luc. XXII, 32 « Ego autem rogavi pro *te*, ut non *deficiat* fides *tua* — et tu aliquando conversus (h. e. et tu aliquando vicissim) confirma fratres tuos ». Animo hic repete, quæ § 14 de intelligentia hujus textus diximus. Duo in eo membra habentur : in primo, fides Petro indeficiens (*ut non deficiat fides tua*) a Christo promittitur ; in secundo vero illi imponitur munus, quemadmodum Christus fecerat, vicissim aliquando confirmandi in fide fratres ; prius ergo Petrum Christus alloquitur, ut personam privatam (*te*, *tua*), dein, ut personam publicam (*confirma fratres tuos*) ; fides Petri, ut personæ privatæ, indeficiens a Christo ponitur ut fundamentum, cui innixus Petrus, ut persona publica in confirmandis fratribus bene et congrue fungatur munere suo. Officium enim isthuc non congrue peraget Papa hæreticus. Si Christus id Petro dixisset : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, solius Petri gratia et non etiam successoris ejus caussa, tum pro Petro nihil præ ceteris Apostolis præcipui rogasset, et si illis verbis eum, ut personam publicam alloquutus fuisset, plane inutilia dixisset, cum ex imposito in 2° membro munere, confirmandi scilicet in fide fratres, non modo non deficiendi a fide, sed etiam in fide non errandi donum sequatur, ideo quod, qui finem sive obligationem vult, velle et præstare media quoque debet. Itaque ex primo membro hujus textus Petrus ejusque successor Rom. Pontifex, uti personæ privatæ, poterunt circa fidem errare, in errore vero pertinaces esse non poterunt, quia ita hæresi fides eorum, pro qua Christus oravit, deficeret ; in secundo

vero membro ex imposito ipsis munere confirmandi fratres in fide, non modo hæresim ex pertinaci assensu, sed ne errorem quidem ex ignorantia aliis publice tradere poterunt.—*b*) *Traditio :* Virorum sanctissimorum, qui cœlesti quoque sapientia pleni fuerunt et ab omni ambitionis nota, fastusque suspicione alieni, testimonia allegavimus supra § 14. Illis denuo citandis supersedemus. Loquuntur ea indistinctim de Pontifice etiam ut persona privata : cujus scil. fidem ex Christi oratione numquam defecisse, neque hæresi contaminatam esse, et numquam, aiunt, defecturam imposterum.—*c*). *Ab eventu :* constat enim, per octodecim sæcula, et quod excurit, nullum hactenus Pontificem hæreticum in Romana Sede sedisse. Omnes contra Patriarchales sedes ceteras a fide defecisse, et in illis hæreticos et hæresim profitentes fuisse, ex historia Ecclesiastica notius est, quam ut hic probare oporteat. Patet itaque manifeste, revera pro Rom. Pontifice *Dominum* orasse, et fuisse illum pro reverentia sua exauditum : *ne fides deficeret Petri.*—Sententia, quam hic de fidei privatæ Rom. Pontificis per hæresim indeficientia a ratione, positiva Ecclesiæ constitutione, suavi Christi providentia, ex Scriptura quoque et Traditione, ac octodecim tandem sæculorum experientia defendimus, apud Theologos plerumque *Alberti Pighii Campensis sententia* audit (1), ob quam non-

(1) Pighius, *Hierarchiæ ecclesiasticæ assertio*, lib. IV, cap. VIII, edit. Colon. 1538. — Fuit Pighius ille vir apprime doctus. Eum Hadrianus VI, quo Lovanii quondam in studiis theologicis præceptore usus fuerat, Clemens quoque VII, et Paulus III, Pontifices maximi, plurimi fecerunt. Vid. Paquot, *Mémoires litt.*, etc.

nulli, queis hic *Canus* præivit (1), non valentes distinguere inter errorem, quem Pighius concedit, et hæresim, a qua ipse Rom. Pontifices immunes dicit, eum ludibrio habent et pene contumeliis vexant. An jure et merito? Rationes eorum expendamus. Et tum æquus quilibet judicet rerum æstimator.

6. *Rationes adversæ sententiæ* præcipuæ sunt : I) *facta Pontificum*, v. g. Marcellini, Liberii, Anastasii, Joannis XXII, et præcipue Honorii, quos omnes adversarii injuria asserunt fuisse proprie hæreticos. De qua re hodie fere omnes conveniunt (2).—II) *Confessiones ip-*

---

pag. 152, vol. I, in-fol. — Cum Pighio sentiunt Luc. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, Vbo *Papa* n. 62, ed. Venet. 1782, et alii imo etiam, sublata scil. absurda distinctione inter Sedem ac Sedentem, Gallicani omnes, uno ore profitentes illius, non hujus a fide per hæresim indeficientiam. Cf Soardi, lib. I, c. III, § 4, et Frayssinous, *Les vrais principes de l'Eglise Gallicane*, pag. 100. Notatu dignissima sunt, quæ hic de Pighii systemate Bossuet dicit, *Appendix ad defens. declarat.*, lib. III, c. X, dum scribit : « Quæ » mihi cogitanti atque animo, ut par est, *sæpe* revolventi, *unus* » *semper visus est Albertus Pighius*, ut falsa et absurda (?), ita » *consentanea et apta dixisse.* Posteaquam enim semel statuit » illud : *ne deficiat fides tua*, et de vera fide, quam non modo » profitemur, sed etiam habemus intus, et de omnibus et singulis Petri successoribus esse dictum, consequenter sibi dicendum esse vidit, eorum neminem hæreticum esse potuisse, aut » deinceps esse posse... Ceteri vero infallibilitatis Pontificiæ defensores passim cum M. Cano Alberti Pighii novam opinionem » aspernantur, *tamen cum a Pighio discedunt, sua labefactant.* » Hæc omnia, mea etiam opinione, verissima sunt.

(1) *De Ecclesiæ Rom. auctoritate*, lib. VI, cap. VIII, resp. ad. 11, pag. 170, Venet. 1759. — Hic auctor ornatius quidem quam ceteri Theologi ea tempestate temporum plerumque disseruit; an etiam verius, quæstio est.

(2) Cf. Ballerinius, *De vi ac ratione Primat.* cap. XV, § 7,

sorummet Rom. Pontificum, sive doctrina canonum. Ita imprimis *a*) Can. *Si Papa.* (VI) Dist. XLC, ubi legitur : « Hujus (Papa) culpas istic *redarguere* præsumit mortalium nullus : quia cunctos ipse judicaturus, a » nemine est judicandus, nisi deprehendatur *a fide* » *devius.* » — *b*) V Synodus Romana sub Symmacho : « A multis antecessoribus nostris synodaliter » decretum, atque firmatum est, ut oves pastorem » suum nec *reprehendere*, *nisi a fide exorbitaverit*, » præsumant » — *c*) Can. *oves* (XIII) Caus. II. Quæst. VII. ex epist. II Eusebii Papæ ad Episcopos Alexandriæ : « Oves, quæ Pastori suo commissæ sunt, eum » nec *reprehendere*, *nisi a recta fide exorbitaverit*, » debent, nec ullatenus accusare possunt. » — *d*) Anacletus, *Epist. III De Patriarchis et Primatibus :* « Pastor Ecclesiæ, *si a fide exorbitaverit*, erit *corri*» *gendus ;* sed pro reprobis moribus magis est tole» randus, quam distringendus, quia Rectores Ec» clesiæ a Domino sunt judicandi » — Tandem *e*) Innocent. III. *Serm. II de consecratione Pontificis* « In » tantum mihi fides est necessaria, ut cum de ceteris » peccatis Deum solum judicem habeam, *propter solum* » *peccatum*, *quod in fide committitur*, possem ab Eccle» sia *judicari.* » — Ad hæc respondemus. I° *generatim*, nimirum : adversarios cum nullum argumentum ex S. Scriptura vel a ratione habeant, quod ipsorum sententiam suadeat, facta adferre, quæ aut commen-

---

seqq. — Bellarminus, *De Rom. Pontif.* lib. IV, cap. VIII, seqq. — Muzzarelli opusc., *L'infaillibilité du Pape*, I^re^ part. § 17, et : *De auctorit. Rom. Pontif.* — Soardi, lib. II, cap. I.—Veith, *De Primatu Rom. Pontif.* sect. 2, § 44.

titia et ab Isidoro Mercatore relata, aut ex præjudicata opinione ab ipsis male intellecta sunt, ad quæ tum S. Scripturæ (Luc. XXII, 32) intelligentiam redigunt.—II° *ad singula:* ad *a*) Circa canonem *Si Papa*, » quem, juxta *Canum*, pro nihilo quidem habet *Cam-* » *pensis*, nos vero maximi habere deberemus » dicimus, 1° Gratianeos canones non aliam, quam illam fontium, habere auctoritatem ex quibus desumpti sunt. Præterea Canonem allatum incertæ fidei atque auctoritatis esse probat Sebastianus Berardi (1) ex eo scilicet quod *a*) verba illius canonis a Gratiano adscribuntur cuidam *Bonifacio Martyri*, viro satis ignoto, quem etsi admitteremus fuisse Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, quoniam tamen *b*) in actis S. Bonifacii Archiepiscopi hactenus notis nullum illorum indicium est, nullaque apud Canonistas *Deusdedit* antiquiores occurrit mentio. 2° Verba ipsa apocryphi hujus canonis nobis non adeo contraria sunt, cum a fide *deviare* non semper sit idem, ac cum pertinacia esse hæreticum. Errare Pontifices privatim posse in doctrina fidei, et ob id fraterne redarguendos esse admittimus. 3° Tandem quid caussæ nostræ atque totius Traditionis oberit, si illi Bonifacio Martyri opinio nobis contraria fuerit? — Ad *b*) concilium illud V Romanum, vulgo legitimum habitum, omnino supposititicium probarunt Fratres Ballerinii (2). — Ad *c*)

(1) *Canones genuini ab apocryphis discreti*, tom. II, part. II, pag. 222, edit. Tauren. 1755. — Vid. quoque Ballerinium, *De potest. eccl. SS. Pontif. et concil. gener.* c. IX, § 2, not. 3, et Pighium, *loc. cit.*

(2) In tractatu, *De antiquis canonum collectionibus*, in tom. III

et *d*) apocryphas esse has epistolas, quales judicio peritorum pleræque sunt Rom. Pontificum decretales epistolæ ante Siricium editæ, probando supersedemus (1). Quid præterea illa capitula nobis valde contrarium contineant, non satis perspicio. Adversariorum perpetua intelligentia illorum canonum ea est, ac si *a fide exorbitare* non posset dici nisi ille, qui cum pertinacia hæreticus sit, numquam vero is, qui opinando circa aliquam quæstionem nondum definitam erraret in materia fidei, quemadmodum fertur errasse Joannes XXII Pontifex. Qui circa doctrinam fidei errat, deviat atque exorbitat, æque monendus, corrigendus et judicandus est, ac ille, qui in hæresi cum pertinacia esset, admonitione scilicet, correctione et judicio ex charitate profectis, minime vero ex auctoritate institutis. — Denique ad *e*) cum Ballerinio fateor sententiæ adversæ in loco citato favere videri Innocentium III. Observaverim tamen 1° Innocentium *hypothetice* loqui, 2° alia Innocentii loca de contraria ipsius persuasione certam fidem facere, imprimis *Epistolam* 209 ad *Patriarcham* Cp., in qua dicit : « Pro Petro Dominus se orasse fatetur ; ex hoc in- » nuens manifeste, quod successores ipsius *a fide* » *catholica* nullo umquam tempore *deviarent*, sed » revocarent magis alios, et confirmarent etiam hæ- » sitantes ; per hoc sic confirmandi alios potestatem » indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obse-

---

eorum editionis Venetæ, opp. S. Leonis part. III, c. VI, n. 7, pag. 217.

(1) Vid. Berardi, op. cit. tom. II, cap. II et cap. XXIX.

» quendi.» Tandem 3° hic fluctuaverit Innocentius, imo contra Patrum Traditionem *erraverit* etiam, nonne id est, quod nos de Pontifice ab initio concessimus (1)? Atque ita Cani aliorumque, qui hic eum sequuntur, rationibus satisfecisse me arbitror; cum *Pighio* tamen profiteor, cessurum me cuicumque, qui nostris rationibus dissolutis certius evidentiusque aliquid attulerit in contrarium. Namque is non sum qui hæc aliaque interpretamenta mea aliis velim obtrudere. Quod litteræ S. Scripturæ, quodque Traditioni propius est, licet circa id, modo prudens sit, detur libertas, adsequi conor et semper ubique conabor. « Nobis itaque (Pighii verba sunt) constat universalis, et sine ulla exceptione conclusio : ecclesiasticæ hierarchiæ Principem ob nullum criminis casum suorum subditorum (quales omnes sunt qui in Christi ovili sunt) judicio fieri obnoxium adversus omne decorum, omnem ordinem. Nam hæresis casus, ne locum in eo haberi possit, Christum misericorditer et necessario suæ providisse Ecclesiæ; ob alia quæcumque crimina ferendos, non feriendos a subditis suis prælatos certum est. »

(1) Illud *judicari* apud Innoc. facile potest idem significare ac *redarguere* et *reprehendere* in aliis canonibus citt.

SECTIO III.

PONTIFICII PRIMATUS POTESTAS IN TOTAM CHRISTI SOCIETATEM IMMEDIATA ET ORDINARIA EST.

§ 33.

Adversariorum doctrina est —ex prima institutione sua Primatus jurisdictionem in singulas Ecclesias non immediatam et ordinariam, sed solum inspiciendi, canonum observantiam urgendi, supplendique Episcoporum defectus gratia in Ecclesia exstare.

Fundamentum adversariorum systematis, uti diximus, hoc est : sacram potestatem, quam Christus Petro et Apostolis contulit, inhærere collegio Episcoporum, quam tamen singuli Episcopi *habitu* in solidum et in universam Ecclesiam, *actu* vero in portiones sibi concreditas exerceant, præcipuo autem modo illam exequatur Primas universæ Ecclesiæ ad unitatem conservandam. Cujus præcipuæ in Primate partis, aiunt, ratio ineo est, quod ipse, ubi Ecclesiæ extra concilium dispersa est, collegium Episcoporum quodam modo repræsentat, ejusque vices gerit, et proinde collegii nomine interim ea decernere potest, quæ ad tuendam Ecclesiæ unitatem sunt necessaria. Ex hoc jure repræsentandi Episcoporum collegium sequentia jura, relate ad Ecclesiam, essentialia Primatui statuunt : 1) *Jus supremæ et generalis* in omnes Ecclesias *inspectionis*, ut rerum omnium, quæ ad statum Ecclesiæ universalis quoquomodo pertinent, notitiam sibi parare queat, 2) *Jus urgendi observantiam canonum*. — 3) *Jus supplendi Episcoporum defectus*, et negligentiam,

si suo defuerint officio, seu jus devolutionis suppremum, salvis tamen devolutionibus intermediis. — 4) *Jus edendi decreta provisoria*, quæ ad unitatem necessaria sunt, in rebus fidei vel universalis disciplinæ (Cf. § 22) (1). En quæ sit juxta adversarios primitiva Primatus natura, quæ dein, ut aiunt, lapsu temporum mutata corruptaque fuit, ubi accidentalia Primatui jura a primogeniis Episcoporum juribus detracta accesserunt. Exinde patet, si primitivam divinamque Primatus institutionem respexeris, Rom. Pontificis jurisdictionem, quæ in *universam* Ecclesiam juxta adversarios prorsus nulla est, etiam in singulas ecclesias et diœceses ab ipsis negari esse *ordinariam et immediatam;* singulos contra Episcopos ab illis præferri tamquam gaudentes in suis cujusque diœcesibus primigenia potestate jure divino propria, ordinaria, universali (quoad caussas omnes) privativa, et solis Ecclesiæ canonibus subdita. In quos tamen, quo unitatem conservet R. Pontifex, et canonum exequutionem urgeat, largiuntur ei, tamquam collegii ecclesiastici vicario, inspiciendi

(1) Ita Schenkl p. I, § 230, 181. — Frey II Th. § 31. — Rechberger § 123. — Cherier § 146, 215. — Dal Pozzo, ch. IV et VIII, edit Brux. 1829; et alii pejores, qui cum Jansenianis, Febronio, Eybelio, Pistoriensibus, Emsianis Punctatoribus penitus consentiunt. — Ex Galliæ quoque scriptoribus non pauci Rom. Pontifici jure divino jurisdictionem in unaquaque diœcesi *immediatam* esse negarunt : ita post Gersonem, Bailly, Hook, Corgne, etc. apud Lequeux, op. cit. tract. I, sect. I, c. VI, n. 178. Vid. etiam Gallic. declaration. art. III. Plures tamen eam admiserunt, quibus recentiores consentiunt : ita Regnier, *De Ecclesia Christi*, t. II, p. II, sect. I, art. 9. — Bouvier, *Institut. theolog.* t. I, p. III, art. IV, § 1, sect. VIII. — Lequeux, loc. cit. ect.

vigilandi et supplendi jura, uti originaria, et cetera ex caussis, ut dicunt, a natura Primatus alienis parta, ut accessoria habent; quæ quidem jura multi non pro lubitu abstrahi, imprimis hodie, a Sede Romana posse putant, alii contra quam primum, quippe primitivæ Primatus institutioni contraria et ab Episcopis injuste ablata, ea auferenda contendunt. Perspicere est, adversarium hoc systema in fraudem divini Primatus et Apostolicæ Sedis jurium esse excogitatum, eoque totum collineare, ut, depressa Apostolicæ Sedis auctoritate, omnique prope illius in diœcesibus exercendæ præclusa via, unitas frangatur, ad hæresim et schisma tendatur, tota denique Ecclesiæ administratio subvertatur (1).— Incauti igitur fuerunt, qui, ex recentioribus, ejusmodi systema non prorsus repudiarunt.

---

(1) In hac re citari merentur, quæ adversariorum doctrinam clarius exponant, verba Pii VI (Breve *Super soliditate*) adversus Eybelium, de quo dicit « Quod tot decretis damnatos errores in» fausto suo libello instaurare studuerit, ac per multas ambages » passim insinuarit : quemlibet Episcopum vocatum a Deo ad » gubernationem Ecclesiæ non minus quam Papam, nec minori » præditum esse potestate : Christum eandem per sese Apostolis » omnibus potestatem dedisse : quidquid aliqui credant obtineri » et concedi solum a Pontifice, posse id ipsum, sive a consecra» tione sive ab Ecclesiastica jurisdictione pendeat, perinde obti» neri a quolibet Episcopo : voluisse Christum Ecclesiam reipu» blicæ more administrari : ei quidem regimini opus esse præside » pro bono unitatis, verum qui non audeat se aliorum, qui simul » regunt, negotiis implicare; privilegium tamen habeat negligentes » cohortandi ad sua implenda munia : vim Primatus hac una præ» rogativa contineri supplendæ aliorum negligentiæ, prospiciendi » conservationi unitatis hortationibus et exemplo : Pontifices nil » posse in aliena diœcesi præterquam extraordinario casu : Pon-

§ 34.

Ordinaria est et immediata in omnes et singulos quarumcumque christiani orbis diœcesium fideles Romani Pontificis auctoritas. — Primatus potestas per se absolute summa est, plena, universalis et illimitata; usus vero ipsius moderatus esse debet, non humano quidem, sed altiori jure, naturali scilicet atque divino.

1. Ultima hæc eaque etiam necessaria Romani Pontificis Primatus proprietas adversariis perinvisa

---

» tificem caput esse, quod vim suam ac firmitatem teneat ab » Ecclesia : licitum sibi fecisse Pontifices violandi jura Episcopo- » rum, reservandique sibi absolutiones, dispensationes, decisio- » nes, appellationes, collationes beneficiorum, alia uno verbo » munia omnia. » — M. A. de Dominis, Richerium, Febronium et Eybelium sequuti, atque iisdem, quibus Eybelius, principiis inixi Emsiani Punctatores, ut idem Pius PP. VI nos docet, *Responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Colonien- sem, et Salisburgensem super Nunciaturis Apostolicis*, Rom. 1789, pag. 172, ita argumentabantur, scil. «Posse quidem Pontificem legare » *extraordinarios* nuntios, ubi Archiepiscopi Episcopique suo » muneri in re gravi defuerint, et ubi remedii adhibendi neces- » sitas id postulet, eisdemque facultates committere pro rei op- » portunitate præfiniendas, et durante tantum caussa duraturas; » his tamen demptis casibus extraordinariis, non posse Pontificem » nuntios legare stabiles et permanentes, atque ea præditos juris » dictione, quæ propriis ac peculiaribus singulorum Pastorum » juribus adversetur. » Ipsos ita paterne monuit Pontifex, lib. cit. pag. 188, « Ut nimirum veritatem *e dogmatis fonte* profectam toto » animo amplexi pro certo haberent, Primatum divinitus institutum » non iis dumtaxat limitibus fuisse circumscriptum, ut Petrus ejus- » que successores Ecclesiæ universæ caput effecti, et vicaria Jesu » Christi vice fungentes, malis occurrerent, et fratres errantes, » ac negligentes in viam reducerent, et e socordia excitarent;

est. Nihil eorum systemati repugnantius dici potest, quam Romanos Pontifices proxima et immediata uti posse in omnes singulosque omnium totius orbis diœcesium fideles auctoritate. Attamen juxta Evangelica verba si Pontificii Primatus potestas ea est, quæ universæ Ecclesiæ uti fundamentum inservire debeat, fratres omnes in fide confirmare, pascere tandem oves et agnos i. e. fideles omnes cum vi legandi et solvendi quodcumque, nonne profecto ipsa inde evidenter etiam probatur, uti summa, plena, illimitata et universalis, ita pariter in omnes et singulas Ecclesias ordinaria et immediata, et non solum quidem cum jure inspiciendi, et supplendi, sed cum ea, quacum a Christo instituta existit et prout Florentina definitio statuit, regendi, pascendi et gubernandi plenitudine auctoritatis? (Cf. c. III.) Sed idem præterea ex Traditione, Ecclesiæ praxi et historia constat. Id expresse sancivit œcumenicum concilium Later. IV, ubi (sess. V) de Rom. Ecclesia dixit, eam « *disponente Domino* su» per omnes alias *ordinariæ* potestatis obtinere Prin» cipatum », cujus ordinariæ et immediatæ Primatus potestatis nobis naturam tradit sacrosanctum concilium Tridentinum, in specie docens (sess. XIV. c. VII) « Pontifices maximos pro suprema potestate » sibi in Ecclesia universa tradita caussas aliquas cri» minum graviores suo potuisse peculiari judicio re-

» sed auctoritatem secum ferre stabilem, perpetuam, numeris » omnibus *absolutam pascendi, regendi, et gubernandi* tam po» pulos, quam populorum ipsos Pastores absque ulla certi temporis » constitutione. » Cf. hic insuper Bolgeni, *L'Episcopato* vol. I, cap. II, n. 22 et cap. IV, n. 62, edit. Rom. 1824.

» servare. » Num id potestatis esset Rom. Pontificibus, ut hasce peccatorum caussas sibi reservarent, nisi suæ fideles omnes auctoritati immediate obnoxios haberent? Idem confirmat S. Leo dicens : « De toto mundo unus » eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et » omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præ- » ponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes » sint, multique pastores, omnes tamen *proprie* regat » Petrus, quos principaliter regit et Christus. » Tandem caussas majores jam tempore Innocentii I ex antiquo more a singulis Ecclesiis Romam fuisse delatas aliosque innumeros actus jurisdictionis *immediatæ* in singulas Ecclesias inde a primis Ecclesiæ temporibus a Rom. Pontificibus fuisse exercitos, adeo ex historia notum est, ut minime probari debeat. Adversarii omnes ejusmodi actus ad jura Primatus adventitia referunt. Id ab eis injuria fieri (§ 22) generatim diximus, speciatim vero id ostendere nec hic locus est, nec otium, quare ad eos, qui hoc argumentum fuse æque ac erudite tractarunt remittimus. Unum tamen Zallingerum hic audire operæ pretium ducimus, hoc fere modo ipsis breviter respondentem (in lib. III Decretal.) : « Ad Rom. Pontificem pertinet supplere defectus Episcoporum aliorumque inferiorum *ex officio et plenitudine potestatis*, quæ alias præterea regiminis partes continet, *conc.* Ex *dispositione canonum*, et intra angustos fines, intra quos concessu canonum Metropolita supplet defectus suffraganeorum, *neg.* Potestas enim Rom. Pontificum non humano canonum consuetudinisque jure, sicut illa Metropolitarum nititur, sed ex divina constitutione cum *fontali plenitudine*, ut Gerson lo-

quitur, dimanat. Obsistet-ne fortassis episcopalis potestas, quominus in qualibet per terrarum orbem diœcesi episcopalia munia per seipsum obire Rom. Pontifici fas sit? Sed qui ita sentiunt, pergit ille, apertissime decipiunt seque reos Apostolicæ auctoritatis efficiunt, et ejus potestati temere præjudicant, cum ita cujuslibet Episcopi subditos non per Rom. Pontificem, sed per proprium tantummodo Antistitem legari vel solvi posse confingant. Etenim Episcoporum jurisdictionis potestas vel ex jure divino petenda est, vel ex jure humano. Si prius : tum nihilominus subdita sit necesse est jurisdictioni illius, cui etiam ipse Christus non particulares tantum, sed oves suas et agnos *omnes* tradidit pascendos (1). Si vero posterius : nihil profecto difficultatis erit; *Si enim Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertivit, ut in partem vocati sint sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*, nonne loquido probatur, *quod quilibet Episcopus nec super gregem sibi commissum tantam potestatem habeat, quantam præsul Apostolicus :* qui, licet curam suam

(1) Juxta hanc sententiam supremam plenamque Rom. Pontificum potestatem supra facultates Episcopis competentes, in iis nempe, etiamsi divinæ institutionis essent, si bonum Ecclesiæ exigat, moderandis et limitandis quoad earum materiam, usum et exercitium, (quæ omnia ad mutabilem disciplinam pertinent), præclare exponit probatque Cl. Ballerinius, in lib. *De potest. eccl. SS. Pontif. et concil. gener.* cap. I, § 5 et 6, et, *Vindiciæ auctorit. Pontif. adv. Febronium*, cap. II, III et IV; recteque etiam ibidem distinguendam dicit potestatem ipsam SS. Pontificum ab ejusdem usu, et non ex abusibus, qui potestati tribuendi non sunt, sed ex vitio abutentium dimanant, ipsam potestatem negandam esse, aut ad canonum antiquorum normam revocandam.

in singulos Episcopos diviserit, nullo tamen modo seipsum sua universali et principali potestate privavit (1).

2. Quod insuper adversarii fingunt, non se intelligere posse, quomodo duæ potestates ordinariæ et immediatæ in eadem diœcesi simul valeant consistere; sed inde potius confusionem incredibilemque rerum perturbationem necessario oriri debere dicunt; quod etiam, ad invidiam nostræ sententiæ conflandam, jactitant, Pontificiam potestatem ab ejusdem sententiæ defensoribus ita efferri, quasi SS. Pontificibus tribuant: posse eos ad se attrahere omnia, Episcoporum auctoritatem ad libitum extenuare, sacris canonibus universalis Ecclesiæ veneratione consecratis pro arbitrio contraire, nullisque limitibus supremam et plenam potestatem eorumdem Pontificum coerceri, ad ea nos respondemus, distinguendo inter ipsam Primatus potestatem, et ejus usum et exercitium. Potestatem Rom. Pontificis jure divino dicimus esse amplissimam, supremam et independentem, plenam et universalem, atque in omnes et singulas Ecclesias immediatam; adeoque ex sua divina institutione et natura ita comparatam, ut præter jus naturale et divinum proprie sumptum, nihil ei in hac terra impedimento esse queat, quominus sese ubique valide, et si bonum Ecclesiæ adsit, etiam licite exserat. At etiam præterea contendimus cum ceteris Pontificiæ potestatis defensoribus, usum ejusdem potestatis et exercitium esse debere æquum, moderatum atque

(1) Ita Romana Synodus sub S. Greg. VII, cap. XXIII.

benignum, non arbitrarium, sed juxta leges communes seu canones, quibus ipsa Apostolica Sedes consenserit, institutum, non quidem ob *coactivam*, sed ob *directivam*, ut aiunt, eorumdem canonum vim, sive ex altiori jure naturali atque divino, quod exigit, ut in iis, quæ bono publico constituta sunt, superior præcedat exemplo, nec aliis violandarum legum viam aperiat, quod in magnum scandalum Ecclesiæque detrimentum cederet. Hac de caussa, etsi multa possint Rom. Pontifices in universam Ecclesiam, si tamen non expediat, animadvertenda erunt illa Apostoli : *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, juxta quæ S. Bernardus sermonem faciens de quibusdam privilegiis, quæ non omnino, nec universim expedire judicabat, non dubitavit ita modeste scribere ad Eugenium Papam : « Sic factitando probatis, vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita; facitis hoc quia potestis, sed utrum et debeatis quæstio est.» Ubi vir Sanctus potestatem non negat, sed adesse profitetur, et solum ejus exercitium contineri vult intra justitiæ limites, ne ad id excedat, quod non expediat; eamdem etiam non canonum juri subesse censet, sed naturali atque divino, quod supremam quoque potestatem aliorum principum non absimiliter obstringit. Præterea, publica quoque est SS. Pontificum professio : illicitum se ducere sine gravi ratione, utilitatis scil. aut necessitatis a canonibus aut usibus legitime stabilitis recedere, seseque particularium diæceseon administrationi immiscere, « Quoniam, ait S. Greg. M. (can. 39, caus. I, q. I.) si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid

» aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesias-» ticus custodiri debet ordo, confundatur (1). » Tandem utiliter hic adferri credimus, quæ in scopum nostrum adversariis hic respondit auctor libri, cui titulus : *Febronius abbreviatus cum notis adversus neotericos Theologos et Canonistas*, dicens : « Papa suum Primatum habet a Christo non jure humano, aut ab Ecclesia ; hinc eidem neque ab Ecclesia aut a quacumque potestate humana alii limites poni possunt, quam posuit Christus : instituit autem Primatum universalem in Petro, cui dedit claves, insignia potestatis supremæ et generalis, omnesque oves suas, nulla omnino excepta, ei ad pascendum et regendum commisit. Hunc Primatum jam demonstravimus esse jurisdictionis juxta communem Ecclesiæ doctrinam, sequitur ergo, hanc Primatus jurisdictionem in universa Ecclesia esse ordinariam, officio Primatus inhærentem, et nulla lege ecclesiastica restringibilem vel restrictam. Attamen limites habet, quos Salvator ipse posuit, quos

---

(1) De *usu extraordinario plenitudinis Pontificiæ potestatis* postea plura dicturi sumus. — De ordinario illius usu recte dixerit Cl. Walter, *Lehrb. des Kirchenrechts*, § 121, edit. 1836. « Also ist » der päbstliche Primat... inder Anwendung doch keineswegs wil-» kürlich und unbeschränkt, sondern durch den Geist und die » Praxis der Kirche, durch das Bewusstseyn der den Rechten zur » Seite stehenden Pflichten, durch die Ehrfurcht vor den œume-» nischen Concilien, durch die Rücksicht auf alte Satzungen und » Gewohnheiten, durch den milden Ton der Regierung, durch » die anerkannten Rechte des bischöflichen Amtes, durch die » darauf gegründete Vertheiluug der Geschäfte, durch das ver-» hältniss zu den weltlichen Mächten, endlich durch den Geist » der Nationen überal gebunden und gemildert. »

duos tantum esse legimus, qui tamen non tam ipsam potestatem (quippe Primas et Pastor universalis pro necessitate et bono gregis debet omnia posse) quam usum, exercitium, modumque ejus respiciunt. Primus est, ut qui sit major, et Primatum teneat, hunc non exerceat ad modum regum gentium, qui tum non monarchice solum, verum et despotice regnabant, sed sicut Christus, qui monarchice quidem, attamen non potestate dominante, sed charitate serviente, Apostolos regebat. Alter est, quod hic Primatus datus sit in ædificationem non in distructionem Ecclesiæ, et Petrus constitutus fuerit fundamentum ad ædificandam Ecclesiam, *super te ædificabo;* inde ulterius sequitur, quod Papa vi Primatus universalis quidem per se omnia possit, sed non omnia expediat, neque pro libitu et arbitrarie vim suam expromere debeat. Subtrahatur ergo Papæ, quod est nimium, nempe exercitium sui juris et potestatis arbitrarium, vel despoticum, et concedatur ei potestas divinitus concessa, jurisdictio scilicet *ordinaria* in universam Ecclesiam juxta præscriptum Christi exercenda, et non habebunt Episcopi, minus alii, quod conquerantur. Si quidem illis non obest jus Metropolitæ vel Patriarchæ jure ecclesiastico introductum, quominus jura propria exercere possint, nec oberit potestas Primatus ordinaria, quominus sint veri Episcopi, si illa arbitrarie et despotice se non exserat. Quod si qui duplicem hanc potestatem ordinariam Episcopi et Papæ in singulis diœcesibus (quippe quoad has Papa nullibi habetur pro extraneo) capere nondum valeat, exemplum etiam sumat a Parocho, qui oves

suæ parochiæ, quoad prædicationem Evangelii et sacramenta administranda, ordinariam potestatem habet, talem autem non minus habet Episcopus... Non contendimus hanc paritatem inter Parochum et Episcopum, item inter hunc et Papam quoad omnia valere. Interim semper verum manet, quod in parochia qualibet et Episcopus et Parochus habeant ordinariam potestatem, unde demum ista proveniat, nec jurisdictio Episcopi in parochia impediat, quominus sit vere Parochus (1).» Itaque verbo (quod fatus est doctor Angelicus (2):) « Super eandem plebem *immediate* sunt et sacerdos parochialis e Episcopus et Papa. »

Atque hic tandem orationi nostræ, ne ipsa prolixior excrescat, finem imponimus, et fatemur ingenue, amplam hanc exstensamque materiam, de qua hucusque disseruimus, nos quasi prætereuntes pœne aspexisse tantum. Attamen confidimus, fore ut, vel ex iis, quæ ita breviter tractavimus, hoc colligere Lector possit: scilicet adversariorum systema de *providendi* in fide atque regimine, interea dum Ecclesia extra concilium est, *de vigilandi, inspiciendi et supplendi* gratia solum instituta Pontificii Primatus potestate ex omnibus, quæ fingi possunt, administrandi gubernandique formis, infirmissimam, ne dicam insufficientem et

(1) Tom. I, cap. III, § 1, pag. 320, ed. Bruxel. — Cf. quoque Ballerinius, locc. citt. — Zaccaria, *Antifebron.* tom. I, diss. II, c. V, et *Antifebron. vindic.* part. II, diss. IV, cap. IV. — Andr. Duvallius, op. cit. part. IV, q. XI. — Mauclerus, tom. I, p. II, lib. III, cap. XII et XVI. — Muzzarelli, opusc. *Esame sull'origine della giurisdizione de' Vescovi nelle particolari diocesi.*

(2) Supplem. q. VIII, art. 5, ad 3.

prorsus improvidam societati Christi largiri. Verum contra *cum necesse sit*, uti noster locutus est Lactantius, ut *Deus, providentissima illa majestas, id effecerit, quod erat melius et rectius,* — si etiam juxta evangelica verba admiserimus, Deum suæ præfecesse Ecclesiæ Rectorem universalem et ubique ordinarium, summa plenaque tum judicii tum regiminis cogenti potestate a se donatum; — sique præterea, quod in aliis societatibus ex abusu ejusmodi summæ potestatis incommodi contingere potest, suavissima sua æque ac fortissima assistentia, ne id societati suæ *universæ* contingeret, præcavisse firmiter crediderimus, tum *considerans hanc conditionem rerum intelliget* quilibet æquus rei æstimator, *nihil aliter fieri debuisse, quam quod factum :*

UNUM *ovile*, — UNUS *Pastor*.

FINIS.

THESES.

a)- Μία ποίμνη, εἷς ποιμήν. (Joan. X, 16).

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω. (Hom. *Iliad.* II, 204).

b)- Στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. (Luc. XXII, 32).

Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. (Joan. XXI, 16).

Καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. (Math. XVI, 19).

THESES.

EX JURE UNIVERSO,

PUBLICO ET PRIVATO.

I.

In genuina *juris divini* et *rectoriæ potestatis* notione, dein in Christi societatis, quæ *positiva est*, *naturæ* distincta cognitione, omnis quæ de subjecto divinitus posito ad regendam Ecclesiam esse potest disputatio, cardo vertitur.

II.

Inde, Cl. virorum (1) doctrinam defendentes, ante alia statuimus, *primo:* « Jus diuinum divinamque institutionem *proprie*, hoc est, quatenus a jure humano sive ecclesiastico sive civili distinguitur, illud jus vocamus, quod ita proxime a Deo præcipiente vel instituente procedit, ut nulla humana auctoritas interveniat. » — Eorum quæ ita a Deo procedunt, ea est natura, ut ab homine mutari nequeant; quæ contra *proxime* ab homine fiunt et tantum *remote* a Deo, mutationi haud dubie obnoxia sunt.

---

(1) Vid. imprimis insignem Didaci Lainii *Disputationem de institutione Episcoporum* coram Tridentinis Patribus Sess. XXIII. habitam, apud Pallavinium, *Hist. conc. Trid.* lib. XII. c. XV, — et Fr. Vargæ *Responsum de Pontif. maximi et Episcoporum jurisdictione*, apud pallavicinum ibid. lib. XXI, c. XI, et apud Rocaberti, tom. XI.; — quorum atque aliorum sententiam doctissimus Salmeron *Tractat. LXI — LXXXIV in Acta Apostol.* fuse et erudite stabilivit.

III.

Secundo statuimus : *jurisdictionem* sensu ecclesiastico sumptam, sive *rectoriam potestatem* vi sua non in *absoluto* sed in *relatione* consistere, hoc est *in imperio in subditos*, adeo quidem, ut vel cogitando concipi nequeat ejusmodi potestas sine subditis. Unde uti commentum maxime periculosum rejiciendam arbitramur *radicalem in animo tamquam in habitu inhærentem jurisdictionem*, cujus, imprimis Janseniani, et post ipsos Febronius, studiosissimi in perniciem Ecclesiæ patroni fuere.

IV.

Quorum pariter ex eodem principio hic error fuit, nimirum : 1° Ordinis potestatem originem et fundamentum esse, e qua omnis regendi potestas fluat, et in quo innitatur ; 2° hanc illi ita cohærere, ut ab ea avelli nullatenus possit ; 3° hanc, sicuti illam, multis de caussis ab usu prohiberi quidem posse, præpediri vero, quominis effectum exserat suum, nequaquam. Quæ omnia profecto catholicæ veritati aperte contraria sunt, juxta quam utraque illa potestas ab altera in eo imprimis differt, quod *potestas ordinis* a Deo tantum et nonnisi in *consecratione* conferatur, resideatque in animo, et ab homine tolli nequeat, *potestas* vero *regiminis* a Deo vel homine sola *injunctione* concedatur et ab injungentis voluntate pendeat, et auferri possit (1).

---

(1) D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 3.

V.

Cum Ecclesia societas, positiva sit societas, adeoque universa ejus ratio pendeat ab institutoris voluntate, hoc *tertium* ponimus principium, debuisse scilicet Christum disertis verbis exprimere in ea lege, qua sua societas uti fundamento nititur, cuinam collata esset suprema eam regendi potestas; ex quo etiam conficitur nemini in hanc societatem ullam competere posse jurisdictionis potestatem, proprie dicto jure divino quæsitam, nisi de ea, ut a Christo concessa, clare ex divina Ecclesiæ constitutione constiterit.

VI.

Jus publicum. Petro porro ejusque successori R. Pontifici ab ipsomet Christo collatum esse cum doctrinæ tum disciplinæ Primatum, seu potestatem Ecclesiam universalem in rebus fidei et disciplinæ regendi curandique *plenam supremam*, et *immediatam*, ex S. Scripturis perspicuum est, atque ab Ecclesia declaratum (1). *R. Pontifex.*

VII.

Hanc Rom. Pontificis potestatem asserimus adeo *plenam* proxime a Christo processisse, ut præter jus divinum, sive naturale sive positivum, nihil ei impedimento esse possit, quominus valide, et si præterea utilitas aut necessitas Ecclesiæ adfuerit, etiam licite sese in hanc exserat. Moderandam tamen ob Ecclesiæ bonum, in exercitio suo illam affirmamus. Quod Rom.

---

(1) Cf. Matth. XVI, 18, 19; Luc. XXII, 32; Joan. XXI, 15-18, et Florentina definitio, apud Labb. *Collect. concilio.* tom. XIII, col. 515, edit. Paris.

quoque Pontifices semper præstiterunt, aut se solis aut in conciliis cum Episcopis, editis nempe constitutionibus vel canonibus, ad quorum inde observantiam, Ecclesiæ bono nihil secus suadente, ipsi tenentur ex jure naturali et divino, non autem ob vim, quæ ecclesiasticis illis legibus insit.

VIII.

Quod si igitur, juxta S. Scripturas atque Florentinam definitionem, adeo *plenam* regendi pascendique Ecclesiam potestatem Primatus complectatur, quis hic, amabo, cordatus vir feret, Primatialium jurium *divisionem* istam, qua inde a Justino Febronio hodierni in Germania canonici juris prudentes statuunt, *alia esse jura essentialia,* quorum scilicet exercitium canæ antiquitatis titulo munitur, *alia accidentalia seu accessoria,* quæ post VII vel VIII sæculum ex spurio Isidori Mercatoris partu, ex temporum ignorantia, dominandi pruritu, et violenta usurpatione SS. Pontificum nata dicunt?

IX.

Contrà Ecclesiæ Primas ex *plenæ* suæ potestatis juribus, ceteris ipse plura concessit, augmentum vero illius plenitudinis profecto nusquam accepit. — Hic autem famosam illam Isidori Peccatoris canonum collectionem, (ceteras namque prætereo *adventitiorum jurium* caussas, quibus adversarii minus insistunt), augendæ R. Pontificis potestatis, et non Episcoporum præsertim gratia fuisse initam injuria dici, peritis omnibus res est hodie certa atque explorata.

X.

Pariter cum eximio Viro ac Magistro nostro D'Aubermont S. T. D. defendimus (1) « Sic inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus, Christi vicariis, rerum spiritualium plenam potestatem super universam Ecclesiam, ut nulla conciliorum generalium auctoritas sit illa superior, sed inferior, eique penitus subdita; in fidei quoque quæstionibus et morum solius R. Pontificis judicium esse irreformabile, utpote absque ullius Ecclesiæ vel œcumenicæ synodi consensu prorsus infallibile. » Unde profecto « Certa fide tenenda sunt, non solum quæ S. Scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ catholicæ credenda accepimus, et quæ definita sunt super fidei et morum negotiis, per cathedram Petri VEL per concilia generalia legitime congregata (2). »

XI.

Synodi Constantiensis decreta de auctoritate conciliorum generalium, quæ Sess. IV et V continentur, et quæ nec a Sede Apostolica sunt comprobata, neque R. Pontificum, aut totius Ecclesiæ usu confirmata

---

(1) *In Mantissa celebrium in Belgio...Scriptorum* etc. *Leod.* 1683.

(2) *Art. XXV*, quem Lovaniensis Facultas Theologica in dogmatica sua declaratione adversus Lutheri errores an. 1544 edidit. Launoyus, *Epist. ad Franckevillam*, pag. 38, 39, verba Lovaniensis Facultatis plane corrupit, substituendo particulæ *vel* particulam *atque*. Quod ideo se fecisse ait hic perquam absurdi ingenii vir, quoniam « Alioqui duo in Ecclesia Dei forent summa ex æquo » tribunalia, quæ indeficientis judicii privilegio gauderent: » Quæ « *Ut inter se concordare, ita et discordare possent.* » Unde « Ec» clesiam in discrimen ultimum adducerent. » O lepidum caput!

neque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita, incassum nobis objicerentur.

XII.

Nec pluris contra nos valerent decreta conciliabuli Basileensis. — A sententia Basileensium de superioritate concilii supra Papam stetisse Lovaniensem Theologiæ Facultatem, cum eximio Viro ac Magistro nostro Martino Steyaert (1) prorsus negamus, « atque defendimus in schola nostra (Lovaniensi) numquam nisi oppositum fuisse defensum (2). »

XIII.

Simul Majores nostros omnemque Universitatem Lovaniensem Eugenio IV adhæsisse, et minime, ut Espenius ausus est dicere, a decretis SS. Pontificum appellasse « ad manutenendam saluberrimam Basi- » leensis concilii pragmaticam sanctionem » (3), ex historia illius temporis certum est (4).

---

(1) In *Positionibus de R. Pontifice.*

(2) Verba censuræ Facultatis S. Theologiæ Lovaniensis, circa 4 Propositiones Mechliniensis Decani Ægidii *de Witte*, an. 1685.

(3) Espenius, *Motivum juris* editum pro validitate electionis et liceitate consecrationis *Steenhovii* in Episcopum Ultrajectinum, et pro defensione sua propria adversus Breve Apost. Bened. XIII.

(4) Namque, uti ex actis Univeritatis constat, an. 1448 D. Henrico Caltyser ex parte Nicolai Papæ V misso ipsa Universitas inter alia hæc « Declaravit, quod se semper concorditer » habuit, habet, et deinceps inviolabiliter habere proponit circa » obedientiam Sedis Apostolicæ respectu dicti D. Nicolai Papæ » ejusque prædecessoris Eugenii IV firmitatem, nulla opposita » contradicentium sibi alias a concilio Basileensi missorum per- » suasione averti possibilem et ita invincibiliter per sua scripta

XIV.

Quod adversus R. Pontificis fidem indeficientem, aut etiam infallibilitatem Hadrianus VI, dum Lovanii Theologicæ Facultatis Professor esset, tamquam privatus doctor docuisse dicitur (1), id adversarii (2) (ex eo quod ipse, dum S. Pontifex esset, hunc errorem non publice retractaverit, sed contra suum opus iterum recudi permiserit) Hadrianum PP. VI tamquam Ecclesiæ doctorem ex cathedra pronuntiasse, et pro universali Ecclesia definivisse alte clamant, atque illius Pontificis auctoritate, uti argumento *decretorio*, sibi mirifice plaudunt. — Verum inaniter.

XV.

Cum ejusdem Hadriani Florentii discipulo Cl. Al-

» et opportuna dicta, ac sana dogmata constanter defensam et » defendendam. » — De qua re ulterius vid. *Heimerici de Campo* Rectoris Magnifici Universitatis Lovaniensis *Apologiam*, nomine ipsius Universitatis editam, *cur* nempe *recesserit a concilio Basileensi et Eugenio IV Papæ adhæserit*; — et cetera quæ ipse in illo concilio *pro auctoritate R. Pontificis* scripsit (Paquot, *Mémoires pour servir à l'hist. litt.* t. I, pag. 477, in-fol.).

(1) *Summa theologica in IV^m libr. Sententiar. de Sacrament. Confirmat.* art. III, ad 2^m principale de facto Gregorii (sub finem). — Cf. in hunc locum Cll. Nic. Du Bois variis in opusc., sed inprimis in *Prima parte refutation. argumentor.* art. XV, — et D'Aubermont, *Doctrina Lovaniensium* etc.

(2) Præ ceteris Cll. Gilb. de Choyseul, Episcop. Tornacensis in *Epistola ad M. Steyaert, de potestat. eccl.* pag. 26, seq. Insulis 1688; — Bossuet, *Gallia orthodoxa*, § XXVIII, sqq. et *Appendix ad defension. declarat. cleri Gallicani*, lib. I cap. XII, sqq. — et Launoyus in *Epistolis ad H. Barillonium* et *ad J. B. Franckevillam*, part. IV *Epistolar.*

berto Pighio (1) ex Luc. XXII, 32, tuemur, Rom. Pontificem non in confirmandis modo fratribus fallere fallique nescium esse, verum privatam quoque ejus fidem, pro qua Christus oravit, pertinaci hæresi *deficere* non posse. Proinde uti falsam et supervacaneam rejiciendam existimamus illam multorum opinionem, qua Papam in casu hæreseos aut amittere primatum, aut eodem a concilio privari posse autumant.

XVI.

Quamquam plene assentire non possumus iis, qui Honorium I in synodo Cp. III, œcumenica VI (680), damnatum fuisse negant, et contendunt, prædictæ synodi acta, una cum actis VII et VIII œcumenicæ synodi, et simul cum Epistolis Leonis II ad Constantinum Augustinum et ad Hispaniæ Episcopos datis, esse corrupta et interpolata (2); — minime tamen inde arbitramur Honorium proprie dictæ hæreseos caussa damnatum fuisse, cum certum sit, ideo tantum illum meruisse animadversionem, quod « Flammam » hæretici dogmatis non, ut decuit, auctoritate Apos» tolica incipientem exstinxit, sed negligendo con» fovit (3) » atque « Profana proditione maculari » fidem permisit (μιανθῆναι παρεχώρησε) (4).

(1) *Ecclesiast. Hierarchiæ assertio, lib. IV, Cap. VIII.*

(2) Huic sententiæ fere complementum adjecisse videtur Cl. J. B. Bartholi in *erudita sua pro Honorio I Apologia*, dum contendit, ne malæ quidem œconomiæ, aut nimiæ indulgentiæ reum se hunc Pontificem in caussa Monothelitarum fecisse, et probat, *Epistolam* ejusdem 1am ad Sergium scriptam fuisse a Monothelitis corruptam; alteram vero ex integro ab eisdem confictam.

(3) Leon. II *Epist. ad Episcopos Hispaniæ.*

(4) Leon. II *Epist. ad Constantin. imper.*

XVII.

Liberium quoque immerito hæreseos insimulari, fere omnibus modo probatum est. Cetcrorum Rom. Pontificum dictis et factis cum adversarii minus insistant eosque facile uti insontes dimittant, patrocinium ipsorum agere, supervacaneum est. In *omnibus* itaque Romanæ Ecclesiæ Præsulibus orationis Christi, (Luc. XXII, 32) vim singularem agnosce; suavem quoque Dei fortemque providentiam admirare.

XVIII.

Præter *plenitudinem* atque *supremaliam* tertium tandem Primatui inesse agnoscitur præcipuum attributum : *immediata* nempe per christianum orbem universum jurisdictionis potestas, qua omnes et singulas Ecclesias, uti *principalis* earum *ordinarius*, regat, caussas et casus sibi reservet, personas eximat, et hujusmodi alia in diœcesibus Episcoporum negotia agat. Quæ dum hoc modo peragit, nequaquam diminuendæ auctoritatis episcopalis caussa ab ipso fieri, sed studio communis Ecclesiæ boni atque utilitatis animarum, cum per se præsumendum est, tum historia etiam testatur.

XIX.

Ne in Protestantium errorem de *fictitia Ecclesia invisibili* inclinemus, et ne etiam civili Reipublicæ exitium inferamus, nequaquam volumus cum Rolando Vayer de Butigny (1) aliisque civilem inter atque

(1) *De l'autorité du Roi sur l'âge nécessaire à la profession religieuse.*

ecclesiasticam potestatem statuere ejusmodi discrimen, ut altera corporibus, altera vero animis tantum præsit. Hoc enim pacto, si imperii vis non ultra corpus progrederetur, nec præter animorum fines Ecclesiæ auctoritas proferri posset, civilis Respublica, non hominum, sed corporum, Ecclesia autem nec hominum, sed animorum foret societas. Quo nihil absurdius, aut utrique potestati exitiosius dici potest.

XX.

Absit tamen, ut cum Pseudopublicistis Ecclesiæ regimen proprium, potestatemque a civili statu independentem abnuamus, etenim (ut SS. D. Greg. XVI Ecclesiam gloriose gubernantis verbis utar (1)) « Qui » omnia sapientissime fecit, ac providentissima ordinatione disposuit, is voluit, ut multo magis in » Ecclesia sua vigeret ordo, et alii quidem præessent, » atque imperarent; alii subessent et parerent. Habet » propterea Ecclesia ipsa ex divina institutione potestatem non magisterii solum, ut res fidei et morum » doceat ac definiat, sacrasque litteras absque ullo » erroris periculo interpretetur; verum etiam regiminis ut quo semel gremio suo excepit filios, in » tradita doctrina contineat et confirmet, legesque » ferat de iis omnibus quæ ad animarum salutem, » sacri ministerii exercitium, ac Dei cultum attinent: » quibus legibus quisquis obsistat, gravissimi se reum

(1) *Epistol. encycl.* ad Episcopos, capitula, parochos ceteterumque clerum Helvetiæ XVI cal. Junias an. 1835. Apud Kersten, *Journ. hist. et litt.* vol. II, p. 181.

» criminis faciat. Atque hæc docendi jubendique po-
» testas in iis, quæ religionis sunt, a Christo sponsæ
» suæ tributa non modo ita ejus pastorum ac præ-
» sulum propria est, ut ad civilis reipublicæ Magis-
» tratus nullo pacto possit pertinere, sed semper li-
» bera omnino, et terrenæ cuiquam dominationi
» minime obnoxia. »

XXI.

Itaque cum Osio (1) dicimus : « Sicut Pontificibus
» fas non est imperium in terris tenere, ita nec tu
» thymiamatum et sacrorum potestatem habes Impera-
» tor. » Unde et ob noxias dispositiones, quas con-
tinebant, et ob usurpatam etiam potestatem merito
damnata fuere *Ectesis* Heraclii, *Typus* Constantis, *He-
noticon* Zenonis, et *Interim* Caroli V, aliorumque
edicta hujuscemodi.

XXII.

Independentiam quoque civilis status, ejusdem- *Per media sæcula.*
que a spirituali distinctionem defendimus ; hancque
etiam medio ævo a R. Pontificibus fuisse agnitam,
pariter asserimus contra eos, qui hoc immerito ne-
gantes, tamquam præcipuum illius temporis vitium,
confusionem potestatum, objectitant, earumque mu-
tuas usurpationes inprimis Rom. Pontificibus crimini
vertunt (2).

---

(1) *In Exhortatione ad Constantinum.*

(2) Fleury, *Hist. eccl.* t. XIII, 3e *Discours*, n. 9, 10 18 ; t. XIX 7e *Discours*, no 5 *et passim* ; — Ferrand, *Esprit de l'histoire*, lettres 35, 41, 42 etc. ; —Hallam, *L'Europe au moyen âge*, t. III, p. 339, etc.

XXIII.

Exinde tamen nequaquam volumus, sæcularem potestatem a lege divina, quæ civilium statuum fundamentum est, atque summos imperantes æque ac subditos adstringit, eximere, aut eos eatenus ab auctoritate Ecclesiæ, sive capitis ipsius, quod Salvator et Dominus noster æqui bonique supremum assertorem in terris constituit, atque in omnes christianos cum jure *pœnarum spiritualium* vindicem, immunes reddere.

XXIV.

Præter illam *dirigendi* reges et populos auctoritatem juxta æternæ justitiæ legem, aliam insuper potestatem mediis sæculis Rom. Pontifices in regna et Principes exercuerunt, *temporalem* scilicet. Quam potestatem saltem publico illius temporis juri christianorum statuum fuisse innixam, vel ex ipsis Protestantibus recentioribus fere notius est, quam ut debeat probari.

XXV.

Ut illius *temporalis* potestatis et publici tum temporis juris, cui ipsa nitebatur, maxime insigne, quippe antiquissimum, monumentum defendimus esse privilegium, quod Greg. M. (1) monasteriis et xenodochio Augustodunensi sæc. VI ad finem vergente hoc modo concessit ut, «Si quis regum, sacerdotum, judicum, » personarumque sæcularium, hanc constitutionis nos- » træ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, » potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque

(1) *Epist.* lib. XIII, Epist. 8, 9 et 10.

» se divino judicio existere de perpetrata iniquitate » cognoscat. » De authentia hujus clausulæ prudenter dubitari nequit, nec potest eadem, quod voluerunt Ceillier (1) Mabillon (2), Bossuet (3) et Affre (4) *ut mere imprecatoria formula haberi.*

XXVI.

Idem jus publicum ac proinde R. Pontificum *temporalem* potestatem præclare etiam declarant crebræ illæ, quæ ab antiquissimis inde temporibus hæresi et excommunicationi ubique annexæ fuere, temporales pœnæ, inter quas præcipuæ fuere : jurium civitatis amissio, et cujusque dignitatis privatio.

XXVII.

Hoc mediorum sæculorum publicum jus, quo Rom. Pontificibus licuit nonnumquam temporalem potestatem suæ jurisdictioni obnoxiam habere, atque in hæreticos et excommunicatos arma vertere, non ignorantiæ temporis illius aut superstitioni, non commentitiæ Constantini M. donationi, non ambitioni Pontificum et aviditati, non denique male conceptæ inordinatæque Pipini ceterorumque christianorum Principum arti regendi cum Gallicanis scriptoribus (5) adscribendum est.

---

(1) *Hist. des auteurs eccl.* t. XVII, p. 316.

(2) *De re diplomatica*, lib. II, cap. 9.

(3) *Def. declarat.* lib. II, cap. 9.

(4) *Essai hist. et critiq. sur la suprématie tempor. du Pape et de l'Eglise*, chap. VII.

(5) Inter quos inprimis nominandi Bossuet, Fleury, Berault-Bercastel,—Velly et Garnier,—Michaud, etc. — Systematice irreligiosos vel rationalistas historicos silentio præterimus.

XXVIII.

Verum potius ex natura et indole guberniorum, quorum tum pleraque electiva erant, et præsertim ex miserrimo Europæ statu, cui ex clero Romanisque SS. Pontificibus pro ea, qua ubique fulgebant auctoritate, reverentia et doctrina unice remedium erat, et legitime exortum et in Europa stabilitum fuisse, dicendum est.

XXIX.

Publicum illud jus, fatentibus vel ipsis ex Protestantium cœtu viris doctioribus (1), cunctis Europæ statibus ac religioni commoda maxima attulit. Incommoda si quæ, ad instar ceterarum humanarum institutionum, habuit, non Pontificiæ potestati, quæ illo jure nitebatur, sed regibus maxime atque principibus, quibuscum ipsa colluctavit, tribuenda sunt, ex eo quod ipsi aut religionis plerumque hostes, aut moribus perditissimi homines erant : concubinarii puta, perjurii, simoniaci, populorumque tyranni.

XXX.

Tam perspicua, tamque intime agnita erant maxima ea commoda, quæ civili tum temporis societati veneranda illa Romanæ Ecclesiæ *temporalis* potestas afferebat, ut, vel ideo reges et principes nullatenus dubitaverint, sua ipsi regna in feudum offerre, se ipsos vero in clientelam fidemque R. Ecclesiæ adversus

(1) Præ ceteris nominari merentur Cll. *Leibnitz, Eichorn, Voigt,* et *Hurter.*

aggressores vicinos et subditorum motus recipere. Ex quo etiam factum, ut eadem Pontificia potestas temporalis multum accreverit.

XXXI.

Post hæc subit profecto mirari quam maxime, quî tandem fieri potuerit, ut recentiores historici fere omnes, publici illius juris, de quo diximus, utilitatem agnoscentes, nihilo tamen minus adeo vehementer invecti sint in S. Greg. VII, Alex. III, Innocent. III et Innocent. IV, Greg. IX, Bonifac. VIII etc., qui potestate, quæ ipsis eo jure deferebatur, in bonum rei tum civilis tum ecclesiasticæ usi sunt.

XXXII.

Et vero arbitramur, nihil esse quod cogat, ut illorum Pontificum decreta et acta, et in specie Bullam Bonifacii VIII *Unam sanctam*, quam Clemens V explicavit quidem, minime vero revocavit, aliter exponamus, quam ex *directiva* potestate, quam ipsi jure divino habent, atque ex altera, quam ex jure publico obtinebant. Ex eodem jure publico atque laicorum principum concursu censemus pariter intelligendum esse can. 27 concil. Later. III (1197) contra Albigenses aliosque hæreticos editum, qui dein in can. 3 concil. Later. IV (1215) renovatus fuit. Ad hæc, satis certe, non attenderunt, qui, illorum canonum explicandorum gratia tam varias vias inierunt.

XXXIII.

Dicimus tandem, Rom. Pontifices præter *temporalem* potestatem, quam ex jure publico, quod cunctis Europæ

statibus commune erat, habebant, in Imperium et Imperatores occidentis particularia jura speciali titulo parta obtinuisse, ex eo quod Carolum M. et Othonem M. in Imperatores elegerint, eligendique per se vel per constitutos Electores horum in imperio successores jus sibi reservaverint.

XXXIV.

Jam quod ad caussas spectet, ob quas desierit jus illud publicum, quod per media sæcula obtinuit, caussas præcipuas credimus esse *Gallicanismum*, *Protestantismum* et *Philosophismum*.

XXXV.

Episcopi.

Non est potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt (1). Attamen non omnis potestas est *proxime* a Deo, ratione nimirum *suppositi*, hoc est, nulla interveniente humana auctoritate. Et sic « Nos » jurisdictionem Episcopis *immediate* a Papa descen» dentem attribuimus (2). »

XXXVI.

Non potuit a sapientissimo juxta ac sanctissimo Deo homini *potestas* concedi, proponendi fidem, aliosque ad eam interne cogendi, nisi falli et fallere nescia.

XXXVII.

Quæ S. Scriptura, quæve Patres Deo adscribunt,

---

(1) *Epist. ad Rom.* XIII, 1.

(2) Sunt verba thesis, quæ præside J. Pontano, an. 1658, et præside G. van Werm, an. 1657 in Lovaniensi Academia proposita fuit.

intelligi possunt vel *proxime* vel *remote* ab eodem procedere ; quæ vero humanæ auctoritati attribuuntur, tamquam quæ *proxime* ab eadem emanant, semper accipienda sunt.

XXXVIII.

Non adstipulamur Richerio (1) ejusque asseclis, dum docent, Christum *sacerdotii sui communicatione*, et *auctoritate remittendi et retinendi peccata*, aut *immediata missione Apostolorum atque Discipulorum* (2) ipsis proxime per se, atque inde Episcopis et Parochis, regendi jurisdictionem contulisse.

XXXIX.

Sic quoque existimamus, verbis ad Apostolos dictis : *Euntes ergo docete* (3), præter præceptum ipsis datum, « Ut primum docerent universas gentes, deinde fidei » intingerent sacramento, et post fidem ac baptisma, » quæ essent observanda, præciperent » (διδασκοντες) (4) nihil rectoriæ potestatis a Christo institutæ contineri. Qui iis verbis triplicem jurisdictionis potestatem, universalem scil. ordinariam, universalem extraordinariam et particularem ordinariam, Apostolis conferri putant, in errore eos versari non dubitamus.

---

(1) In *Demonstr.* cap. II, n. I, operis sui *De Eccles. et polit. potest.*

(2) Cf. Matth. X, 16, et Luc. IX, 1 et sqq.; — Luc. XII sqq.; — et Joan. XX, 21.

(3) Matth. XXVIII, 19, 20 cum Marc. XVI, 15

(4) D. Hieron. lib. VI *Comment. in Matth.* ad h. l.

XL.

Episcopi, uti singuli, non sunt dicendi *quoad jurisdictionis potestatem*, jure divino Apostolis *proprie* succedere; *improprie* vero id dici potest, « Quia nimirum, ut Bellarminus ait (1), sicut Christo in terris vivente, primi sub Christo erant Apostoli duodecim, deinde 72 Discipuli, ita nunc primi sub Rom. Pontifice sunt Episcopi, post eos Presbyteri, deinde Diaconi etc. »

XLI.

Circa quod nihil in contrarium traditur aut definitur in sacrosancto Tridentino concilio, Sess. XXIII, cap. IV, et can. VI; ex quibus etiam locis evinci nequit, quemadmodum non Hierarchia aliqua jurisdictionis divinitus instituta, ita nec Episcoporum rectoriæ potestatis origo tamquam *immediate* a Deo procedens. Tridentinam etenim synodum de Ordine et Ordinis Hierarchia tantum eo loco agere, vel ex sola hujus concilii Historia certum est (2).

XLII.

Atque incassum laboraret qui ex Act. XX, 28. *Attendite vobis et universo gregi* etc, jurisdictionis Episcoporum *proximam* a Deo originem probari contenderet; ex mente Cll. Lainii et Vargæ, aliorumque hic loquimur, qui in hanc sententiam coram Tridentinis Patribus disseruerunt.

---

(1) *De Rom. Pontif.* lib. IV, cap. XXV, tom. I, ed. Paris. 1608.
(2) Vid. Pallavicin. *Hist. conc. Trid.* lib. 18-22.

XLIII.

Celebris Innocent. III Decretalis ad Decanum et Capitulum Andegavense data an. 1198 (1) non modo non favet opinioni de immediata Episcopalis regendi potestatis origine, sed contra eam quam maxime convellit, præsertim quum spirituale conjugium, quod Episcopum inter et Ecclesiam est, a Rom. Pontifice dissolvi posse edicat. Qui insuper ex hoc canone ob verba : *cum ergo fortius sit spirituale vinculum, quam carnale*, Innocentium, juris canonici prudentem omnium facile Principem, audaciæ argueret cum P. de Marca (2), aut cum G. Barclaio (3) assereret, verba illius capituli cum mente legislatoris pugnare, eum aut non legisse hanc decretalem, aut certe non intellexisse, palam foret.

XLIV.

Episcopi presbyteris superiores sunt (4) et quidem jure divino, quoad potestatem ordinis; at non item jure divino, quoad potestatem jurisdictionis, quam singuli in particulares suas diœceses exercent, quippe quæ ipsis non a Deo sed a S. Pontifice *immediate* et *unice* tribuitur (5). Igitur D. Hieronymus (6) dicere potuit, hoc modo « Episcopos magis consuetudine (Ecclesiæ), » quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris » esse majores » (scil. jurisdictione).

---

(1) *Decretal.* can. II, lib. I. tit. VII.
(2) *Concord. Sacerdot. et Imper.* lib. VII, cap. 26.
(3) In libr. *De potest. Papæ* cap. 26.
(4) Conc. Trid. sess. XXIII. cap. IV.
(5) Cf. præ ceteris Cl. Muzzarelli, *Origine de la jurid. des évéq.*
(6) In cap. I *Epist. ad Titum.*

XLV.

Parochi. Uti verisimilius tenemus, completam per se parochiæ Parochique notionem *canonicam* complecti attributa sequentia : *a*) locum a Papa vel Episcopo determinatum et circumscriptum ; *b*) Ecclesiam in hoc loco Papæ vel Episcopi auctoritate erectam ; atque *c*) certum sacerdotem in perpetuum aut non ad perpetuitatem illi addictum , cui uni sub Episcopo competat principaliter propriæ et commissæ sibi plebis spiritualis cura , atque sacrorum administratio ; exercitio tamen ordinis episcopalis et administratione jurisdictionis externæ exceptis. Perpetuitatem itaque Parochi et stabilitatem non ad substantiam, sed ad formam modumque existendi referimus.

XLVI.

Parochus in prælatione aut dignitate *canonica* non est constitutus ; jurisdictione quoque externa a jure concessa minime gaudet ; atque inde et inprimis , si ecclesiastica monumenta respexeris, more Jansenistarum sive proprie *Pastor* vocari non potest ; voce quoque cum *decisiva* , uti Canonistæ aiunt , in synodis diœcesanis , tum *consultativa* in conciliis caret. Sed ipse presbyter est animarum curam gerens , et parochiale officium perpetuum , vel temporale , ab Ecclesia institutum exercens.

XLVII.

Jus Privatum. Ex littera juris novi pater aut mater propriam aut alterius prolem baptizantes vel suscipientes , ne im-

pediens quidem ab usu matrimonii impedimentum contrahunt. Nequaquam etiam, vi Trid. concilii (1), impedimentum ex cognatione spirituali dirimens matrimonium contrahit ille, qui in privato et non in solemni Baptismo patrini munus exercet.

XLVIII.

Eas, quæ in Belgio et Galliis vigent civiles leges, minime obstaculo esse aut esse posse, quominus spectata etiam præsenti Ecclesiæ disciplina, solemnia, quæ juris communis sunt, religiosa vota emittantur, intime persuasi asserimus (2).

XLIX.

Nullatenus assentire possumus viro clarissimo Carriere (3), dum docet: 1) inesse principibus sæcularibus potestatem statuendi impedimenta vere dirimentia matrimonium non solum quoad civiles, sed etiam quoad canonicos effectus, atque in foro conscientiæ; adeoque 2) illa impedimenta dirimentia, quæ in codice civili (*Tit. V du mariage*) mere sunt civilia et non simul canonica, observanda esse, ut valeat christianorum matrimonium, quemadmodum in foro civili, ita et in foro Ecclesiastico, atque coram Deo.

---

(1) Sess. XXIV. cap. II, de Reform. Matrim.

(2) Vid. Carriere, *De justitia et jure*, t. I. n. 221, seqq. — It. *De Matrimon.* n. 658, seqq. — Lequeux, *Manuale compend. jur. can.* t. II, n. 615. — Bouvier, *De Matrim.* cap. IV. art. II, § III.

(3) *De Matrimonio* t. I, n. 547, seqq., et t. III, n. 737, seqq.

L.

Ex eodem falsissimo principio, ac præterea ex inani, quam fingit, hypothesi, Ecclesiam scil., quemadmodum olim dispositiones juris Romani circa adoptionem et cognationem legalem suas fecit, ita quoque post hoc velle ceteras, quas tandem cunque diversorum Statuum laici Principes conderent in posterum, perpetuo sibi ut proprias assumere, induxit præfatus auctor (1), *adoptionem et cognationem mere legalem* (juxta cod. civil. Napoleonis Tit. VIII) esse impedimentum matrimonium etiam *canonice* dirimens. At perperam. Nam dato etiam, art. 348 ejusdem codicis impedimenta civiliter dirimentia continere, nihilominus omne id, quod ille art. contra aut præter jus canonicum dirimit, secus initum, coram Deo atque Ecclesia valebit.

LI.

Jus Civile. Le roi peut établir, pour l'exécution des règlemens décrétés en vertu de l'art. 67 de la const., des peines dans les limites de la loi du 6 Mars 1818. — L'art. 1^er^ de cette loi est encore obligatoire (Art. 129. 67. et 9. const).

LII.

Le sénat peut amender tout projet de loi, qui lui est adressé, soit par le roi, soit par la chambre des représentans. (Art. 42 const).

LIII.

Lorsque le gouverneur, en vertu de l'art. 86 de

(1) *De Matrimon.* tom. II, n. 704, seqq.

la loi communale, a suspendu l'exécution d'une résolution du conseil communal, et que la suspension n'a pas été maintenue par la députation du conseil provincial, le gouverneur peut en appeler auprès du roi : ce recours est suspensif de l'exécution. (Art. 86 et 87).

LIV.

La députation permanente du conseil provincial ne peut porter d'office une dépense facultative au budget communal. (Art. 75, 77 et 133).

LV.

Le droit criminel, d'après son objet, est une branche du droit public. — Il est aussi, comme les autres parties du droit, sujet à l'interprétation extensive ; mais il ne peut être étendu par analogie.

LVI.

On entend par *ordre public* (art. 6 cod. civ.) *les rangs des personnes politiques ou civiles ;* — et, par *les lois qui intéressent l'ordre public*, toutes celles qui règlent les rangs des personnes, et en déterminent les attributs et les rapports (1).

LVII.

La condition de se marier ou de ne pas se marier, d'embrasser l'état ecclésiastique ou de ne pas l'embrasser, de changer ou de ne pas changer de religion et autres semblables étant contraires à l'ordre

(1) V. l'article de M. Manguin, *apud* Sirey, t. VIII (1809), part. II, p. 345.

public ou aux bonnes mœurs, sont nulles et rendent nulle la convention qui en dépend (1172). Dans les donations et testamens ces conditions sont réputées non écrites.

LVIII.

La convention, même avec clause pénale, de contracter mariage ensemble, est contraire au même art. 6., et ainsi légalement nulle.

LIX.

Il n'y a pas d'antinomie entre les art. 1172 et 900.

LX.

La condition résolutoire *sousentendue par la loi dans les contrats synallagmatiques, pour le cas où l'une des deux parties ne satisferait point à son engagement* (1184), n'a pas, en règle générale, d'effet contre les tiers.

LXI.

Les articles 1182 § 3, 1193 § 2, ainsi que l'article 1194 § 3, pour le cas où le débiteur n'est en faute qu'à l'égard de l'une des deux choses, sont contraires à la raison et aux principes de droit.

LXII.

D'après notre code une obligation est divisible ou indivisible, si son objet est ou n'est pas *susceptible d'une exécution partielle*, soit d'après sa nature, soit d'après le rapport sous lequel il a été considéré dans la convention; soit enfin d'après la fin qu'on s'est proposée dans le contrat; — et non pas, si l'objet de l'obligation, considéré en lui-même, est ou n'est pas susceptible de division matérielle ou intellectuelle.

LXIII.

Ceux qui sont déclarés indignes de succéder par l'art. 727, sont *de plein droit* exclus des successions.

LXIV.

Il n'y a plus aujourd'hui de différence entre action en nullité et action en rescision quant aux effets ; et ainsi le mineur n'a pas deux actions différentes par l'art. 1304.

LXV.

On ne peut appliquer l'art. 1304 à tous les actes ou conventions nuls.

LXVI.

Tout acte contraire à l'ordre public, à une loi impérative ou prohibitive, aux bonnes mœurs, ou enfin n'étant pas fait dans les formes prescrites par la loi, en général est nul de plein droit.

LXVII.

L'exception de nullité peut, après le délai légal, être repoussée comme l'action. On ne peut donc plus invoquer aujourd'hui la maxime : *quæ temporalia sunt ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum.*

LXVIII.

L'art. 1328 est limitatif quant aux trois catégories qu'il pose.

LXIX.

J'entends par *ayants cause* (1322) tous ceux qui peuvent exercer un droit quelconque sur ce qui a été fait entre parties ; — et par *tiers* (1328) tous ceux qui ne sont pas partie contractante.

LXX.

Entre créanciers en général les priviléges ne produisent d'effet, quant aux immeubles, que par l'inscription, et qu'à dater de cette inscription.

LXXI.

Il n'y a pas d'antinomie entre les art. 2111 et 880.

LXXII.

En fait de meubles corporels une vraie *possession vaut titre* ou rend propriétaire (2279).

Vidit S. Facultas Theologica,

H. G. Wouters, S. Fac. p. t. Decanus.
M. Verhoeven, S. Fac. p. t. a Secretis.

Vidit Rector Universitatis,
P. F. X. DE RAM.

INDEX.

Pag.

Præfatio. vii

Auctores consulendi. 2

Cap. I.— Hostes Primatus, et systemata noxia.

§ 1. Ratio conatuum adversus Primatum. 7

§ 2. Dioscorus et schismatici Græci Primatum negant. ib.

§ 3. Waldenses, Patavinus, Jandunus, Wiclefus et Hussius Primatum negant apud Latinos. 8

§ 4. In concilio Constantiensi *Episcopale systema* introducitur, et *Democratiæ* initia ponuntur. 9

§ 5. Lutheri et Calvini *Democratiæ systema* cum pastoritio regimine. 12

§ 6. Ab Edm. Richerio *Democratia* latius exponitur; a Marco vero Antonio de Dominis *mere ministerialis Aristocratia in solidum* defenditur. 13

§ 7. A clero Gallicano *Episcopale systema* uti Gallicana doctrina a. 1682 *declaratur.* 16

§ 8. Janseniani *Episcopale et Democraticum* systema defendunt. 20

Espenius. 23

§ 9. Febronius et Febronianistæ Gallicanam doctrinam et systema M. A. de Dominis et Richerii tuentur. 27

Apud Germanos Canonistas et Dogmaticos *Episcopale systema* nunc vulgo receptum. 32

Cap. II.— Necessitas Primatus, quem etiam ratio postulat.

§ 10. Necessitas Primatus jurisdictionis ex natura Ecclesiæ ejusque fine. 36
Patres. 40
§ 11. Illa Primatus necessitas confirmatur a ratione, ab auctoritate Protestantium — ab effectibus. 42

Cap. III. — Primatus institutio, ejusque natura et indoles.

§ 12. Illustriora S. Scripturæ loca, quæ de instituendo vel instituto Primatu agunt. 47
§ 13. Promissio Christi apud Math. XVI, 18, 19, explicatur; ex Patribus. 49
I. Ex S. Cypriano, cujus textus vindicatur. 55
II. Ex Optato Milevitano. 62
III. Ex Leone M. 63
IV. Ex D. Hieronymo, cujus textus explicatur. 64
§ 14. Christi oratio apud Luc. XXII, 32 exponitur. 66
Juxta Patres. 68
§ 15. Primatus Petro confertur apud Joan. XXI. 74
Patres: *SS. Eucherius* et *Bernardus*. 76
§ 16. Petro collatus fuit Primatus *universalis* in universam Ecclesiam. — Adversus *Pinelium*. 77
§ 17. Primatus proxime Petro soli collatus fuit.— Contra Democraticos et Aristocraticos. 86
SS. Patres explicantur, imprimis Augustinus. 87
§ 18. Primatus Petri ejusque successorum in Florentino concilio *dogma fidei* constituitur. 93
Hujus decreti genuina lectio et sensus. 94
Concilia Later. IV, et Lugd. II. 97
Pius VI. 98

Cap. IV. — Finis Primatus.

§ 19. Primatus Petro datus ob commune Ecclesiæ bonum. 100
§ 20. Illud Ecclesiæ bonum in unitate consistit fidei et communionis. 101

Cap. V. — Attributa præcipua Primatus.

§ 21. Tres præcipuæ Primatus proprietates opponuntur systemati Canonistarum Germaniæ. 107

Sect. I. — Plena *primatus potestas.*

§ 22. Fundamentum systematis adversariorum. 110
Criterium. 111
Divisio jurium Primatus. — Natales jurium adventitiorum. 113
Recensio Jurium Primatus. 116
§ 23. Primatus 1ma adfectio seu plenitudo potestatis ex Scriptura et Ecclesiæ definitione constat. 120
Adversariorum criterium arbitrarium est. 122
Caussæ jurium adventitiorum Primatui injuriosæ sunt et falsæ. 123
§ 24. Fundamentum adversariorum ulterius refellitur. 126
Maxime quoad *disciplinam*. 127

Sect. II. — Suprema *Primatus potestas.*

§ 25. Juxta adversarios sola collegii Episcoporum potestas ultima et *absolute* suprema est; illa vero Papæ tantum *conditionate*. Inde errori obnoxia et collegio Episcoporum inferior. 131
Inde ad vim absolutam Pontificiæ potestatis necessarius Ecclesiæ consensus. 135
§ 26. Primatus potestas *absolute* suprema est; indeque *se sola* infallibilis. — Prob. I) ex Scriptura et Ecclesiæ definitione. 138
II) Ex incommodis secus sequuturis. 139

III) A ratione et fine Primatus rite intellecto. 140
IV) Ex Patribus, præcipue *Irenæo*, cujus insigne testimonium vindicatur. 145
V) Ex absurdis. 159
§ 27. Adversariorum opinio in religione ad scepticismum ducit. 165
Eorum legitimi concilii criteria. 167
§ 28. Objectiones adv. *absolute supremam* Primatus potestatem in fide et disciplina ex Episcoporum qualitate Judicis Rectorisve. 169
§ 29. R. 1° — Singulorum Episcoporum *qualitas judicis fidei* non obest infallibilitati Primatis. 171
Recta judicii et examinis Judicialis notio. ib.
§ 30. R. 2° — Collegii Episcoporum auctoritas in fide et disciplina summa et infallibilis non obest potestati Primatus supremæ et inerranti. 178
Utilitas generalium conciliorum. 183
Jus suffragii atque examinis. 184
Qua ratione a conciliis examen denuo institutum de dogmaticis R. Pontificis decretis. 188
§ 31. Generalis concilii notio. — I) Juxta adversarios. 190
II) Juxta recentiores Primatus defensores. 191
Jus convocandi; præsidendi; confirmandi concilia. 193
An Papa supra vel infra concilia? 196
§ 32. De collegii Episcoporum potestate : 1° In casu mortis Papæ. 200
2° — Papæ violatoris canonum. 206
3° — Papæ dubii et incerti. 207
4° — Papæ hæretici. 211

SECT. III. — IMMEDIATA *Primatus potestas*.

§ 33. Juxta adversarios Primatus potestas solum *vigilandi*, *supplendi* et *providendi* gratia, in Ecclesia existit. 222

§ 34. Primatus potestas in omnes et singulas diœceses est ubique *ordinaria*. 225

Verum ipsa Primatus potestas, quæ per se absolute summa et plena est, ab usu ipsius, qui divino atque naturali jure moderatus esse debet, distinguenda. 229

THESES. 237

FINIS.

ERRATA.

pag.	lin.	*corrigenda*	*corrige*
13	14	hic viri sentiunt	hic sentiunt.
24	16	ad consilia, ad concilia regia	ad concilia regia.
26	8	avertere adversus	avertere latas adversus.
45	11	atis	satis.
48	3 not. 1	ores meas	oves meas.
95	19 not.	firmite eis.	firmiter eis.
127	2	Episcorum	Episcoporum
139	18	Pontifici Primatus	Pontificii Primatus.
144	5	consueruut	censuerunt.
173	19	feraratur	feratur.
191	1	œcumeni	œcumenici.
200	11	Mornarchiam	Monarchiam.
214	19	nihilomninus	nihilominus.

213.1 27312
K 322 KEMPENEERS, AUGUST
AUTHOR Dissertatio Dogmatico-Canon. De Romani Pontificis Primatu ejusq. Attributis, quam cum subjectis Thesibus, ...

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBBL

27312